DISPUTATIO JURIDICA
De
JURAMENTIS
IN GENERE, ET EJUSDEM SPECIEBUS,

Quam

JEHOVA JUVANTE ET FAVENTE

Autoritate atq; Consensu, Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi JCtorum ordinis, in inclyta LL. nutrice Salana

SUB PRÆSIDIO

DN. D. GOTHOFREDI FIBIGII,

Consiliarii Saxonici, Professoris Publici, & Collegii Juridici, Dicasterii Provincialis & Scabinatus Adsessoris, Dn. Patroni, Promotoris ac Præceptoris sui Parentis instar ætatem devenerandi,

Ad diem   Maji horis & loco consvetis Publicè ventilandam proponit,

In Auditorio JCtorum,

JACOB Schröter / Junior,
Meinunga-Hennenbergicus,

JENÆ,
Ex OFFICINA TYPOGRAPHICA LOBENSTEINIANA,
ANNO 1643.



PROOEMIUM.

SApienter, Seneca ille ſapientiſſimus cupidæ conſulens Juventuti, ſcripſit: Ea potiſſimum Juvenibus addiſcenda, quæ Viris maximè uſui futura ſunt: Summa enim eſt dementia in tantâ temporis egeſtate ſupervacanea addiſcere, ſumma fatuitas jus abolitum, defœcatas antiquitatum quisquilias ſcrupuloſè indagare, in nonneceſſariis incaneſcere, & deciſiones quæſtionum quotidiè occurrentium ignorare: Illa igitur cognitione utiliora quæ ſunt, utilitate ponderoſiora, & uſu frequentiora attingenda, jubente etjam Imper. Leone *Nov. 46.* ac JCtis, Ulpiano *in l. 1. princ. ff. de ſuſpect. tutor.* & Paulo *in l. 25. ff. de libert. legat.* ſvadentibus. Non ergo oleum & operam perdidero, ſi ſub incudem diſputationis hanc juramentorum materiam, materiam, quæ non ſolum in ſcholis ſubtiliſſima, ſed imprimis etiam in foro frequentiſſima eſt, immò (ut de ſuo mihi iterũ largiatur Ulpian. *in tit. de reſtit. in integr.*) talis, quæ nulla eget commen-

datione, cum ipsamet sese ostendat, adeò ut non opus habeat suspensâ hederâ, revocavero: Quum verò præposterus sit ordo, prius humana petere subsidia, & illis deficientibus divini favoris gratiá postulare *c. 69. de consecrat. dist. 1.* meritò, imitamine Religiosiss. Imperatoris Justiniani, in Nomine Domini nostri Jesu Christi, ad omnia consilia, omnesq; actus semper progrediamur, *l. 2. C. de offic. præfect. prætor. African. & l. 1. §. 2. C. de V. J. enucleand.* Hoc enim invocato sequitur bonum initium, melius medium, & optimus finis *Schneidwin. in Rubric. Proëm. Instit. ex gloss. referente:* In hujus igitur nomine, commodissimis nunc solvimus auris, solicitati bonâ ventorum pace, navim nostram in altum producimus, velificationem omnem dirigendo ad portum magis gratum.

THESIS I.



Vanquam præ verbis potior rerum in omni tractatu veniat habenda ratio, cum verba rebus, non res verbis deservire noscuntur, per text. *in c. human. aures 11. c. 22. q. 5.* & similes, quos allegat ad hoc *Gail. 1. observ. 150. n. 6.* Atque adeò non valdè curandum sit de qualitate verborum, ubi de Reipsa constiterit, *Dn. Reinking. de R.S. & E. l. 1. cl. 1. c. 1. n. 5.* Attamen cum nomina significandi gratia inventa sint *§. 29. Inst. de legat.* & dicentis voluntatem demonstrent *l. 7. §. 2. ff. de supell. legat.* ut usu vocis cognito, sæpè in ipsius rei perceptio-

ptionem provehamur *Scalig. Exerc. 1. sect. 1.* non immeritò rei ipsius tractationi, boni ordinis ergò (qui in jure præsertim est laudabilis, *Cagnol. de R. J. in Rubric. n. 4.* nam res per ordinem intellectæ, magis delectant animos, magisque sensus illuminant, & memoriam reddunt clariorem *Schneidwin. ex Accurs. in Proëm. Instit. princ. n. 1.* aliàs sine ordine confusio sequitur, *Angel. in l. 1. §. nunc ff. de nov. oper. nunciat.*) cognitionem nominis in hoc nostro exercitio disputatorio præmittimus, exemplo JCti *in l. 1. princ. ff. de J. & J. l. 1. §. 1. ff. de pact.* Tria verò ad præcognitionem nominis vulgò pertinere statuunt: 1. Notatio requiritur. 2. Distinctio nominis, quæ fit recensendo ejus ambiguitates & 3. expositio synonymorum & æquipollentium.

II.

Nominis Notatio.

Descendit igitur juramentum à jurando: Jurandi verò verbum quidam derivant à jure, quia id, quod juratur, pro lege & jure habendum, sancteque veluti jus servandum sit, *Covarruv. in Relect. c. quamvis 2. P. 1. princ. n. 1.* vel quia divinum Numen pro jure veritatis constituitur. sicque per Deum jurare nihil aliud est, quam Deum pro jure veritatis constituere *Covarr. d. l. 1.* Hinc & alii à vero dictum putant, *Cyprian. de spons. c. 4. §. 25. n. 2.* Germanicè vocatur, Eidt/ quasi eindt/ unitum scil. cum eo, qui solus verè unus est, *Jacob. Ebert. Tract. Ethic. de juram. tit. de voc. latin.* Item ein Schwur/ à schweren/ à gravitate & onere, quia res periculosa & difficilis, *Ebert. d. l.* Hinc *Socin. l. 2. Consil. 254.* vocat, spiritualem torturam.

III.

Ambig. & Synom.

Vocatur aliàs juramentum (1) jusjurandum *t. t. ff. & C. h. t.* Et licet olim differentia erat inter juramentum & jusjurandum, ea tamen hodie amplius in usu non est, ut patet *ex l. 34. §. 5. 6 ff. h. t. l. pen. C. eod. t. Vultej. discept. 7. p. 70. & Dd. in cit. Ll.* Dicitur autem jusjurandum, quòd jurare justum tantum oporteat, vel quasi jus sacratum *Cujac. in ϖ. C. h. t.* Hinc Virgil. 2. *lib. Æneid.*

Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.

Diss. Lips. 1. Elect. 18. ex loc. Apulej. De Deo Socrat. à se emenda-

ro,ubi vult,quod jusjurandum sit quasi Jovis jurandum. Vocatur (2) Sacramentum, *l. 11. l. 12. & l fin. C. h. t. & l. 1. & 2. C. de jurejur. propter calumn & alibi passim.* Sacramentum autem dicitur, vel á sacro *Varr. l. 4 de lingv. latin.* vel quasi sacræ rei arctissimum vinculum, quod nullo modo ludendum sit, vel quod res sacra cum Deo fiat, *Fortun. Garcia in c. 1. de pact. n. 114.* vel quia & sacro testimonio fides sit & jurans se consecret ad pœnas, si fallat, *Ebert. supr. cit. loc.* & ita *Duaren. prior. Comm. ff. h. t. c. 1. & poster. c. 1.* licet Sacramentum alias habeat plures significationes, uti refert *Covarruv. d. l. n. 2.* (3) nominatur etiam Religio, à religandis mentibus, quod liget & religet mentem, *Borch. Tract. de juram. c. 1.* & metum ac timorem jurantibus injiciat, *l. 8 princ. ff. de condit. Institut. & l. 1. C. de jurejur. propter calumn.* Interdum etiam juramentum & religio conjunguntur *l. 9. C. de in litem jur. & alibi passim.* Appellatur denique, dejurium *Gell. lib. 3 c. 18. Jacob. Ebert. d. l.* & dejurare pro jurare apud *Tertull. apol. advers. gent c. 32.*

IV.

Cognitâ itaq; nominis significatione, cognitionem rei, justo subjicimus ordine, quæ versatur, tum in ejus *Constitutione*, tùm in *destructione:* Illam per *definitionem*, *Causas*, *divisionem*, *species & adjuncta.* Hanc hisce præmissis Coronidis loco per *contrariorum expositionem* sistemus.

V.

Primò igitur loco rectâ viâ proficiscimur ad *definitionem*, quippe quæ omnis legitimæ tractationis fundamentum & caput est, *Cic. 1. offic. Aris. 1. post. c. 1. §. 43.* Variè autem à variis Dd. ea proponitur, uti videre licet apud *Borch. d. tr. c. 1. Covarr. d. l. n. 1. Hunn. ad Tr. disp. 21. Vol. 3. th. 1. l. a. & Bach. ad eundē d. l. Wes. w. ff. h. t. n. 2. Besold disp. 1. de Juram. thes. 4. cum ibid. citat.* Verùm verè dixit, quisquis dixit: Ut ex loquacibus syngraphis citius nascitur controversia, ita ex pluribus definitionibus nascitur diffidentia. Nobis in genere juramentum rectè definiri posse videtur hoc modo: Quod

Definitio. Sit Invocatio Nominis Dei, Quâ Petimus, Ut Is Sit Testis Nostræ Asseverationis Et Puniat Fallentes.

VI.

Quamvis verò Invocatio (propriè sic dicta) & juramentum multis parasangis inter se differant, uti benè notavit *Dn. Cornel. Becker. SS. Th. D. in disp. suâ de juram. thes. 18 19. 20.* Nos tamen id vocabulum tam strictè hic non sumimus, sed largiori modo, idem enim nobis hîc est, quod attestatio vel assumtio nominis DEI. Hinc Pl. Rever: D. *Balduin. in Cas. Consc. l. 2. Cas. 2.* vocat juramentum speciem invocationis *Rittersh. in Nov. p. 9. c. 10. n.* 3. Sed quæri solet: *An Ethnicorum juramenta pro veris juramentis habenda sint, cum ipsi verum DEum non agnoscant, aut adorent?* Et Resp. licet Ethnici in Cimmeriis versentur tenebris, & vel cœpas & allium pro Deo colant, quum verò idola sua, ceu verum DEUM venerentur (nulla enim gens tàm fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio *Cic. in Tuscul. & lib. 2. de nat. Deorum*) & per ipsa ceu verum DEUM jurent, juramentum in effectu obligatorium est. Concedimus autem verum & legitimum, si propriè & in abstracto consideremus, non esse, in suo tamen genere & consideratâ opinione jurantis, qui superstitione vel errore ductus, aliquid pro Numine colit, pro legitimo juramento putandum, *Babov. dict. disp. thes. 1. lit. a.* Non enim hic attenditur forma juramenti, sed animus & intentio: Sic Abraham admisit juramentum Abimelech *Gen. 21. v. 31.* Eodem modo in Pactis Pontificiorum hodiè procedimus, qui in juramentis sanctos admiscent, cum tamen per solum Deum jurandum sit.

Definitio-nis enodatio.

Q. An Ethnicorũ juram. verè sint juramenta.

VII.

Venit in super hîc decidenda quæstio illa, *An verba ad juramenti substantiam pertineant?* Quod negamus. (aliorum opiniones autem refert *Azor. P. 2. summ. quæst. lib. 10. cap. 11. pag. 909.*) Hancque opinionem cum ibidem Cit. defendit ipse *Azor. d. l. Alex. in l. 1. de V. O. Fachin. 3. Controv. 8.* Nec enim jus divinum, nec naturale, nec gentium, nec Canonicum verba requirit *Besold. d. disp. thes. 14. Covarruv. d. c. 2. princ. P. 3.* DEUS enim mentem

Q. An verba ad juramenti substantiã pertineãt?

non

non verba respicit c. *si quid C. 14. q. 5. c. cum erubescat dist.* 32. Et homo interno affectu DEUM testari potest. Hinc & mutum jurare posse tradunt Dd. refer. *Bachov. d. disp ad Tr. thes. 1. lit. a.* uti & testificari, quod tamen sine juramento fieri non potest, *Besold. d. l. cum ibid. cit. Covarruv. d. l.* Et *Wesemb. cons. 52. n. 18. in fin.* juramentum per literas interponi posse scribit. Unde & *Borch. in tr. de juram. n. 28.* dicit: Sufficere solam obtestationem divinam, in his qui loqui possunt, modò qui detulit, tacitâ obtestatione contentus sit: Et *Reinold. lib. 3. c. 9. n. 1. p. 453.* Prætermitti sæpè in exigendo juramento, ut id verbis præstent, præstarive sibi curent. Licet verò verba de juramenti in sese & absolutè considerati essentiâ non sint, siquidem per ea juramentum non est, quod est, attamen quia plerunque accedunt ei, postquam in esse est productum, & si ita consideretur, cum hoc suo adjecto, ea necessaria sunt (multa autem ad rem necessaria, quæ tamen ejus essentialia non sunt) scil. ad certiorem probationem, mentisque expressionẽ, & quoad effectum juridicum; Quamvis enim Deo juratum sit, tamen judici vel parti statim satisfactum non est, scribit *Bachov. d. loc.* Vel, ut accuratiùs loquamur: Quamvis verba de *ꝫ* juramenti oretenus præstiti essentia omninò sint, utpote cujus formalitas in verbis consistit, & ab ea unicè depẽdet; Secus tamen est in juramento ipso, cujus pars essentialis intrinseca verba non sunt, sed tantùm nudum, simplex & merum ejus accidens, & forma externa. Tandem notandum ex definitione nostrâ: Duas esse cujuslibet jurisjurandi partes: Alteram Dei contestationem, sive invocationem, quâ jurans Deum suæ asseverationis testem citat & invocat: Alteram imprecationem nostri, quá jurans seipsum devovet, & pœnæ perjurii, si scienter fallat, obstringit.

IIX.

Q. An jurare liceat? Sed primò omnium dispiciendum est, AN JURARE LICEAT? Multi sanè ex Patribus & recentioribus. Theologis & JCtis quæstionem hanc pertractarunt, quorum longum catalogum nobis exhibet, sæpè citat. *Besold. d. disp. f. 1. th. 3.* Negabant verò id olim Essæi, teste *Josepho lib. 2. de bell. Judaic. c. 7.* Quamvis

vis enim hi, in primò in sectam suam ingressu jurarent, ut videre est apud Euseb. *9. de præpar. Evangel. c. 1.* tamen deinceps, per omnem vitam, quæcunque se causa offerret, non minus à jurejurando abstinendum esse opinabantur, quàm à perjurio, & esse jam dum mendacii condemnatum, cui sine Deo non credatur. Negabant etiam Manichæi, quos hodiè sequuntur Monachi & religiosi quidam Franciscani, fratres minores dicti, *c. nuper nobis, extr. de testib.* Negant & Anabaptistæ: De quibus autem omnibus rectè dici potest, quod Christus Salvator noster Pharisæis *Matth. 23. v. 24.* dicit: Eos sc. excolare culicem, & deglutire camelum: Et portare illos conscientiam in caputio, quo abjecto, eorum quoque conscientia abjicitur, *Papiens. in form. respons. rei convent. verb. præscript. n. 28.* refer. *Sutholt. disp. ad Inst. tit. de præscript. in Coroll. 3.* Jurare autem licitum esse non solùm probatur ex jure Canonico, *c. etsi Christus extr. h. t. c. 1. cum seqq. c. 22. q. 1. Covarruv. in c. 2. §. 1. §. 6. n. 1. de pact. in 6.* jure feudali & civili, *t. t. ff. & C. h. t.* sed imprimis ex sacrâ scripturâ confirmatur. Ibi enim non duntaxat ipse Deus jurâsse (& quidem per vitam *Gen. 22. v. 16. Num. 14. v. 21. Deut. 32. v. 40. Ezech. 33. v. 1.* per animam *Jer. 51. v. 14. Amos 6. v. 8.* & per sanctitatem suam *Psal. 89. v. 36. Amos 4. v. 2. Matth. 8. v. 10. c. 18. v. 3. Job. 3. v. 5.* & alibi) sed &, ut in ipsius nomine juremus, præcepisse legitur. *Deut. 6. v. 13. c. 10. v. 20.* & alibi in plur. loc. Taceo jam exempla Patriarcharum, Apostolorum, aliorumque Sanctorum. Nec uspiam in sacris legitimi juramenti præstationem interdictam esse putamus, sed temerarias execrationes prohibitas esse asserimus. Hinc Osiand. *in c. 5. Matth.* Nisi gloria Dei, superiorum Autoritas & proximi utilitas juramentum à nobis exigat, non esse jurandum, rectè admonet. Et A. Augustin. *Serm. 28.* de verb. Apostol. scribit: Juro, sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus, cum videro non mihi credi; ni faciam, & ei, qui mihi non credit, non expedire, quod non credit.

IX.

Hisce ita præmissis, causæ nunc veniunt pertractandæ:

Is enim, teste JCto celeberrimo Obrechto, *in disp. f. de transact. thes. 21.* in omni artium genere, eam rem demum sibi, de quâ agitur, cognitam dicere potest, qui omnes ejus causas & harum effecta perspecta habet. Princeps autem causarum, secundum Philosophos, referente *Scheibler. in tr. suo logic. in Topicis c. 3.* est causa efficiens.

X.

Causa Efficiẽs, Principalis. Est autem causa efficiens principalis, ipse Deus: Qui, cum Deus sit veritatis, in veritate cultum sibi præstari vult, & ab omni nominis sui profanatione ac falso testimonio nos immunes postulat *Exod. 20. v. 7. & 16.* Hic cum toties jurejurando promissionibus suis fidem fecerit, quid liceret, nobis suo exemplo utiq; demonstrare voluit: Sic Israëlitas ad juramentum, tanquam ad extremum fidei liberandæ Asylum remisit, *Exod. 22. v. 8.*

XI.

Subordinatæ, & minus principalis Subordinatæ & minus principales causæ sunt variæ. Primò enim hominum imbecillitas juramenta fecit necessaria: Non enim promissionis aut pacti natura est, ut jures, sed quia homines non credunt: Itaque, ut ex malis moribus bonæ leges, ita & juramenta nata sunt, *Balduin. in cas. consc. cas. 4. Borch. d. tr. c. 1. n. 9.* Postmodum usus & consvetudo hominum introduxit sic juramenta *Wesembec. tr. h. t. n. 4.* qui usus posteà abiit in jus gentium, Magistr. n. & gentes approbârunt hanc religionem, & Prætores edictis suis confirmârunt *Wes. d. l.* Potest itaq; dici juramentum esse jurisgentium, si *simpliciter* & *absolutè* consideretur. Si verò *respectivè* & *determinatè* ad rempublicam Romanam, quatenus ibi novis qualitatibus indutum est, & specialibus effectibus firmatum, juris civilis Romani est.

XII.

Materia in qua sive subject. Venimus nunc ad materiam, quæ est vel in qua vel circa quam. Materiam in qua sive subjectum quod attinet, qui nimirum jurare possunt, sciendum est, regulariter omnes jurare posse, arg. *l. 3. princ. ff. h. t.* nisi lege prohibeantur: Sicut enim non omnibus personis, etsi eodem morbo laborent, eadem

dem

dem omnino medicina exhibetur & propinatur, vel, ut elleborum, tametsi efficax, Medici vetant dari senibus, aut pueris, aut exilibus: Ita juramentum, quod teste Wesembec. efficax est æris alieni emplastrum, & commodum, quo quotidianæ noxæ exterguntur, mantile, non indistinctè sine respectu ætatis & personarum est deferendum vel imponendum, arg. *l. 8. de condit. institut.* Prohibentur autem jurare quidam *naturâ*, quidam *lege*. *Naturâ*, ut infans, mente captus, furiosus, &c. hi enim omnes mentis non sunt compotes *l. 20. §. 4. ff. qui test. fac. possunt, c. parvuli & seq. c. 22. q. 5.* sine consensu *l. 14. ff. locat.* sine animo *l. 1. §. 3. ff. de acquir. amitt. poss.* absentiumque loco habentur *l. 2. §. fin. ff. de jure codicill. Beust. in Rubric. h. t. n. 6.* Item, nec velle nec nolle creduntur *l. 189. ff. de R. J.* *Lege*, ut prodigus; Licet enim hic aliqualem consensum habeat, is tamen corruptus est, facileque talis pejerare potest arg. *l. 26. ff. h. t.* Item, coacti, *auth. sacr. puber. C. si advers. vendit. c. 28. extr. h. t. c. 2. de pact. in 6.* Item homines leves & de perjurio suspecti, & tales ad juramentum compellens deterior esset homicida, *Balduin. dict. tr. lib. 2. cas. 9. c. 6.* Sic prohibentur interdum virgines & maritæ *Num. 30. v. 3. & seqq.* servi, arg. *l. 32. de R. J.* In quibus autem causis lex non contradicit, admittuntur: Item ebrii patiuntur enim mentis exilium, *c. à crapul. extr. de vit. & honest. cleric.* Addunt & alii personas Ecclesiasticas, quæ, licet in causa religionis jurare possint, in foro tamen illis juram. deferendum non est, *Balduin. d. loc.* Non modò autem quis ipse, sed & per procuratorem jurare potest, per textum *in l. 9. §. 6. ff. h. t. c. 6. cum seq. extr. de jurum. calumn.* Et id ubiq; locorum ferè receptum est, ut de eo disputare supervacaneum sit, *Besold. disp. de jurum. calumn. thes. 38. cum ibid. citat.* modò speciale mandatum habeat Procurator, *Besold. d. l. Schneidw. Inst. de action. §. 11. n. 105.* Hoc tamen non procedit, ubi lex requirit proprium juramentum, ut testium, *c. licet, extr. de testibus, Covarruv. in c. quamvis de pact. in 6. p. 1. §. 4. n. 7. & 8. Schneidw. d. loc.* vel si Procurator sit homo vilis & suspectus, vel nisi sit alicujus judicii consvetudo, ut principales tantum jurent, sicuti etiam secundum Comm. Dd.

opin. tutius est semper, ut principalis juret ipse *Barbos. ad Tit. d. disp. thes 4. lit. d. & thes. 1.* Hinc jure Saxon. in Curiis Electorum & Ducum Saxoniæ Procurator non admittitur, sed ipse principalis jurare cogitur, *Constit. Electoral. 15 p. 1.* Fürstl. Coburgisch. Hoffgerichts-Ordnung/ *p. 2. c. 28.* Et ita pronunciatum *in Dicast. Jenensi, M. Jan. Anno 1607. ad requisitionem x, Ursulæ, Paul Beüssens conjugis zu Altenburgk.* Quid verò de jure Com. Sax. observetur, diversæ sunt Dd. opiniones: Quidam tenent, quod Procurator non possit jurare, cum textus juris Saxonici, qui loquuntur de juramentis, semper referant se ad personam ejus, qui jurare debet, *Artic. 6. & 7. lib. 1. & Articul. 22. lib. 2.* Contrarium verò Comm. defenditur cum hoc expresse per jus Saxonicum non sit correctum. Cognitio autē hujus juris magis ex usu, quam ex verbis petenda est, *Hartm. Pistor. lib. 1. q. 16. n. 11. Schneidwin. d. loc. n. 107.* ubi etiam tradunt, quoties de jure Saxon. aliquid controversum sit, decisionem & explicationem sumendam esse ex jure communi, modo jus Saxon. expresse non contradicat.

XIII.

Materia circa quā, sive objectum. Quod spectat objectum, sive materiam circa quam, juramentum (1) debet habere REM CERTAM. De dubiis enim neque certi quid affirmare, nedum jurare possumus, *arg. l. fin. §. 3. ubi gloss. & Dd. C. non numerat. pecun.* Nec obst. quod juramentum sit finis litium, adeoq; de re controversâ & dubiâ, quia per rem certam intelligimus rem unam & definitam, de qua tamen vel jam est, vel potest esse controversia, estque hîc æquivocatio in vocab. certi, quod quandoque dubio opponitur, quandoque idem ac res definita & una.

XIV.

(2) Debet esse RES MAGNI MOMENTI, VEL PUBLICI COMMODI CAUSA VEL IN UTILITATEM PROXIMI SUSCEPTA: Nam res leviusculæ, aut unde quæstum & lucrum tantum haurimus, non sine abusu Nominis Divini confirmantur: Unde piè Nazianz. ne per jusjurandum faciamus quæstum, admonet: Quod tamen hodiè istis Mercurii filiis adeò familiare est, ut vix tribus verbis emissis jurent, juramentaque non magis

glacuerent, quàm vel Poloni syllabarum quantitatem, vel antiqua domus fumum. Imò, ut cum *Hering. de fidejuss. c. 19. n. 161.* loquar, jurasse isti perinde habent, ac si cum Catone aliquo jurati fuissent, sie schweren ins Gelach hinein/ daß die Balcken krachen/ *Georg. Barsckamb. in Radic. claus. c. 30. n. 47.*

XV.

(3) Debet esse, RES HONESTA, LICITA, POSSIBILIS: Juramentum enim non debet esse vinculum iniquitatis, aut contra bonos mores, *c. non est de R. J. in 6. Wes. ϖ. h. t.* aliàs tanquam rei impossibilis nulla est obligatio, *l. 185. ff. de R. J. Schneidwin. Inst. §. 7. de mandat. n. 1. & 2.* Sed potius tres debet habere comites, *c. etsi Christus extr. h. t.* (1) Veritatem, ita ut veritas non fundetur super re levi, sed probabili conjectura, putetque jurans verum esse, quod jurat, *Setser. lib. 1. de juram c. 18. per tot.* (2) Justitiam, ita ut fiat super re licitâ *Wes. ϖ. h. t.* (3) Judicium, ut fiat super necessitate & reverentia, *Martin. Bonacin. in Compend. oper. de Theologia moral. in verbo juram. n. 4.* ubi etiam *n. 5. & 6.* eleganter scribit: Materia juramenti debet esse res licita, non prohibita per legem civilem, non peccaminosa, indifferens, impossibilis, aut impeditiva majoris boni, sive consiliis divinis contraria: Et contra L. civilem factum non obligat, si id primariò & immediatè ad bonum publicum dirigatur: Obligat autem si bonum tantum particulare respiciat, modo non vergat in præjudicium tertii. Hæc ille!

XVI.

Porro ad quatuor ferè Jusiurandum adhiberi solet, *Wes. ϖ. h. t.* (I) AD FIDEI & OBŒDIENTIÆ PRÆSTATIONEM; Unde est vel (1) CLIENTELARE, Lehnpflicht/ quod Domino Feudi præstatur, *Besold. in thesaur. practic. in voce* Lehnmann/ Lehnpflicht *lit. l. n. 27.* aliàs vocatur vasallagium, de quo passim F. Dd. cujus juramenti formulam videre licet in *c. unic. 2. F. 6. Vultej. Tr. de F. l. 1. c. 7. n. 40. & seq. cum ibid. citat.* Et hoc non minus per procuratorem fieri potest, *Vultej. d. tr. & c. n 32. per text. ibidem citat.* modo habeat speciale mandatum *D. Jacobin. & Obrecht. Tr. de F. p. m. 351. n. 10. Mozz. tr. de F. p. m. 107. n. 16.*

Hoc porrò juramentum in omni investitura necessarium est, adeò, ut si vasallus præstare recuset, nulla ei omninò investitura sit facienda, *c. 1. §. nulla in fin. & ibi Landens. n. 1. 2. F. 3.* nisi vasallo hoc pacto remissum sit *per c. unic. §. fin. d. l. Borcb. de F. c. 7. n. 37. Mozz. d. tr. p. 110. n. 20.* Ubi tamen dicit, quod obligetur vasallus ad omnia ea, quæ in fidelitatis juramento continentur, cum fidelitas remitti non possit, quæ est de substantia feudi. Non tamen Dominus vicissim tenetur præstare Vasallo juramentum fidelitatis, prout verè sentiunt Dd. *in d. c. unic. 2. F. 6. Scneidwin. tr. de F. p. 5. n. 135. Vultej. d. tr. l. 1. c. 10. n. 37. cum ibid. alleg.* Licet ad eandem fidelitatem securitatis & defensionis suo vasallo æquè obligetur; Inter utrumq; enim est mutua obligatio, licet non juret fidelitatem, hocque exemplo Patroni in honorem Domini introductum fuit, *Vultej. d. l.* nisi aliud consvetudine & usu receptum sit.

XVII.

Vel (2) SUBDIDITIUM sive SUBIECTIONIS, Erbpflicht/item Erb- vnd Landeshuldigung/ *Speidel. in notab. in voce* Gewärtigkeit *lit. c. num. 34.* Vocatur alias, Homagium, (strictè hoc verbo usurpato, ambiguum enim alias est, uti ex aliis tradit *Reinking. l. 1. cl. 5. c. 4. n. 14.*) quasi hominis ligium, h. e. obligatio servitiorum, quâ subditus Domino suo ex pacto, statuto præscriptione, succeßione, electione adstringitur, *Reinking. l. 1. cl. 2. c. 2. n. 87. & l. 1. cl. 5. c. 4. n. 25. & seqq.* ubi etiam de ejus formula agit. Ob quam promissionem subditorum vel subjectionis Magistratus habere dicitur innumeros oculos, longas manus, celerrimosque pedes, ac si populus universus eidem oculos suos, aures, vires atque facultates in Reipubl. utilitatem accommodandas promisisset, *Speidel. in d. voc.* Huldigung. *Besold. in d voc.* Huldigung *lit. a. num. 49. & 418.* Hoc autem juramentum subditi Dominis territor. solius subjectionis ratione præstant statim in ingressu regiminis *Reinking. l. 1. cl. 5. c. 4. n. 2.* nisi longissimo & immemor. tempore id præscripsissent subditi *d. l. 2. 9. 10.* qua præscriptione omnia acquiri possunt, teste *Schneidwin. Inst. tit. de præscript. de spec. præscript. immemor. 6. n. 33. & seqq.* vel nisi eis pacto remissum

sit,

sit, nihilominus tamen ad fidelitatem & subject. tenentur, licet non jurent, perinde ut Vasallus, *Reinking. L.1. cl. V. c.4. n. 11.* Eodem modo consvetudine hodierna introductum, ut Principes & Domini vicissim subditis suis jurent, quod libertates & privilegia subditorum sarta tecta conservare ac tueri velint *n.13. & seq.* quæ promissio tamen dignitati Principum nil detrahit, *num.21. & seq.* Insuper observatu dignum, quod hodiè Principes Germaniæ Cæsari præstent etiam juramentum subjectionis R. Abschied *de anno 1521. Tit.* Ordnung des Landfriedens/ §. Und darauff. *Reinking. L.1. cl. 2. c. 2. n. 89. & seq.* non quidem peculiare, sed illud simul comprehenditur sub juramento fidelitatis, *Reinking. d.l. n.12. l.1. cl. V. c.4.*

XIIX.

Vel (3) tandem est, quod ratione FAMILIARITATIS, DOMESTICITATIS, aut etiam RATIONE OFFICII, CONDITIONIS, Rahts- Ambts- und Dienstpflicht exhibetur, *Besold. d. voc.* Huldigung *d. n.48. Speidel. d. voc. n.53.* Et hoc juramentum domesticitatis præstatur, quamvis quis non teneat, feudum ab illo Domino, ut cum quis est, Camerarius, Consiliarius, vel Magister domus, vel Pincerna, vel Dapifer alicujus Domini, & tales tenentur præstare ipsi Domino juramentum fidelitatis, ratione domesticitatis, alias vocatur juramentum assecurationis *Mozz. d. tr. p. 105. n. 11. Jacobin. & Obrecht. d. tr. p. 347 n. 4. & seq.* Et hoc juramentum propterea ad inventum, ne domestici vel alii, &c. insidias struant Domino. Nulla enim pestis est efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus *L. 27. C. de donat.* Atque hoc de hisce juram. pro ratione instituti nostri dixisse nobis sufficiat.

XIX.

(II) ADHIBETUR JUSJURANDUM AD OBLIGATIONEM PRODUCENDAM (quatenus aliquanto latius accipitur à parte jurantis.) HINC & OBLIGATIONIS INTRODUCTORIUM vocatur, *Besold. diss. sua de jurm. 2. th. 1.* v.gr. Cum aliquis jurat, se facturum, daturúmve aliquid esse. Quod juramentum si sit de re honesta, licita ac possibili omninò obligans est, *Wes. ar. h.t. n.5.* Secus verò si de inhonestâ: Sic Herodem nemo cogere

po-

potuiſſet, ut daret, petulcæ iſti meretriculæ, quod crudeliſſime matris inſtinctu flagitabat iniquiſſimum. Sed hîc exoritur quæſtio ſatis intricata, num juramentum ſimplici promiſſioni vel nudo pacto adjectum pariat actionem? Variæ ſunt de hac Q. Dd. opiniones, uti videre eſt apud *Beſold d. diſp. 2. & ſeqq.* Et ſanè ſi introſpicimus jus civile, rectè negamus: Juramentum enim ſequitur naturam negotii & actus, cui accedit, *Gail. 2. obſ. 23. n. 20. Zaſ. ad l. 5. n. 23. ff. de condict. cauſ. dat. & alibi.* Et acceſſorium non plus operatur, quam principale *c. acceſſor. de R. J. in 6.* De jure autem civili nec nudum pactum, nec nuda promiſſio efficax eſt ad actionem producendam, niſi lex ei aſſiſtat ob ſpecialem rationem, uti eſt *in l. 7. pr. & §. 2. ff. de oper. libert. l. 44. ff. de lib. cauſ. l. 41. C. de transact. & alibi:* Quia verò iſti caſus ſpeciales habent rationes, propterea ad conſequentiam trahendi non ſunt, *l. 14. l. 15. ff. de LL.* Quid verò ſtatuendum ſit de jure Canonico, an ſc. jus civile per hoc correctum ſit, anceps inter Dd. disceptatio eſt: Pro parte Neg. ſtat *Beſold. theſ. 5. d. diſp. 2. & in delibat. lib. 2. ff. q. 15. p. 214. cum ibidem citat.* Econtrà pro Affirm. *Weſembec.* (qui teſte *Thoming. in Orat. ſua pulcerrima de ratione docendi & discendi juris*, tam altè ædificavit, ut reliquorum in ſimili ſcriptionis genere verſantium luminibus facilè obſtruxerit) *w. h. t. n. 5. & in tit. ff. de pact. ubi dicit (p. m. 189.)* etiam ex quolibet pacto jure pontificio oriri actionem, & peccare eum, qui talia pacta non ſervaret, quæ tamen eum naturaliter & in conſcientia obligent, *per ibid. cit. text.* Adde *c. 12. c. 22. q. 5.* Addit etiam ibidem, quod hodiernâ conſvetudine etiam in foro civili ex pacto nudo detur actio. Teſtatur idem quoque *Beſold. d. l. p. 215. Schult. in Synopſ. Inſtit. tit. de V. O. lit. a. & tit. de except. lit. a.*

XX.

(III) Adhibetur juramentum, ad CONFIRMATIONEM CONTRACTUUM, (aliquanto ſpecialius) unde JURAMENTUM CONFIRMATORIUM, (de quo integrum tractatum ſcripſit Gutierrez.) Notat autem de hoc juramento *Zaſ. ad Rubric. h. t.* quod illud operetur intenſive (h. e. interdum augeat & confir-

met

met contractum, si validus sit) non autem extensivè h. e. non extendat vires contractus, adeoque eum non faciat valere, si invalidus sit: Absurdum enim foret ab accessorio robur aliquod accipere principale, *l.7.§.pen.ff. de pact.* Proinde comparat etiam *Zas. d.loc.* hoc juramentum Mercurio, qui in domo boni Planetæ bonus, in mali verò malus esse solet: Quum verò propter jus Canon. hoc controversum sit, an juramentum pactum vel contractum invalidum confirmet, validumq; reddat? hinc Q. illa vexatissima meritò venit decidenda. Hic sanè quot capita, tot sensus, teste *Treutl. disp. 21. vol. 1. thes. 2.* Hic Nemora penè talia sunt, qualia circa stygem pinguntur! Quis E. Curtius hiatum difficultatum hujuscemodi explere potest? Audendum tamen est, & quæstio proposita aliquot distinctionibus decidenda, quibus ex tali labyrintho, tanquam duce filo Ariadnæo nos expedire volumus.

XXI.

Pactum igitur sive contractus est invalidus (1) RATIONE OBJECTI, quod in se turpitudinem vel vitium habet; Exempla nobis suppeditat, *c.1. & c.6. extr. h.t. & Nov. 51. in præfat.* Talia igitur pacta jurejurando minimè confirmari possunt, esset enim contra bonos mores, in quorum observantia peccatum est, vergeretque in perniciem salutis æternæ. Nam hujusmodi transgressiones magis placent Deo, quam jurisjurandi observationes, *dict. Nov. 51. in præfat.*

XXII.

(2) Est contractus nullus & invalidus RATIONE JURIS. Et iterum distingvimus. Vel enim (1) est contra Jus DIVINUM, & sole meridiano clarius claret ac patet, illum contractum minimè juramento roborari posse. Hic enim nec Papa dispensare potest, sed potius ad animam usque & sangvinem sacram scripturam defendere debet, *c.6. c. 25. q. 1. gloss. in c. Eccles. S. Mariæ 10. extr. de constit.*

XXIII.

Aut (2) est contra Jus COMMUNE, NATURALE sc. & GENTIUM, & vicissim jurament. nihil operatur, *l.7.§ 16. ff. de pact.* Juramentum enim non debet esse vinculum iniquitatis, *c.1.§.*

qua extr. h. t. in 6. c. 68. de R. J. (*quod cap. Dd.* intelligunt de iniquitate, quæ est contra jus naturale & gent. refer. *Bachov. ad Tr. d. l. thes. 2. lit. b. Besold. d. d. 2. thes. 9.*) Summa autem esset iniquitas contra naturalia jura, quæ semper immutabilia & divina constituta providentia, §. *pen. Inst. de J. N. G. & C.* aliquid statuere vel pacisci velle. Idem porrò obtinet, QUANDO PACTUM EST CONTRA PUBLICAM UTILITATEM: Pacta enim privatorum juri publico nil detrahunt *l. 38. ff. de pact. l. 7. §. 14. eod. c. 12. extr. de foro competent.* Hoc autem verum est, si directò & principaliter offendit publicam utilitatem, non verò si tantùm per consequentiam & secundariò, *Gloss. super cap. cum contingat extr. h. t. Br. & alii in l. 27. ff. ad L. Falcid. Gutierrez. d. tr. p. 1. c. 1. n. 1. & 2. & seqq. Covarruv. p. 2. relect. c. 2. §. 1. n. 6. p. 73. Bachov. d. loc. Bonacin. sup. in thes. 14.* Item ampliatur etiam hoc, cum pactum contractusve VERGIT IN DETRIMENTUM & PRÆJUDICIUM TERTII *d. c. cum contingat & arg. l. 9. §. fin. ff. h. t.* quia non debet alii nocere, quod inter alios actum est, *l. 10. ff. h. t.* nec alteri per alterum iniqua conditio inferri *l. 74. de R. J. Besold. d. d. 2. thes. 21.* Hac igitur ratione donatio omnium bonorum, si liberi existunt vel superveniunt, jurata non valet, cum sit in præjudicium liberorum, licet non desint, qui id affirm. quorum argumenta & rationes colleg. *Hunn. in resolut. suis l. 2. tr. 4. q. 11. p. 506. Hœnon. disp. ad Instit. lib. 2. disp. 6. thes. 21. 22. 23. cum ibid. citat.* Sic renunciatio jurata hæreditatis à patre vel matre præmoriente facta non nocet liberis ad hæreditatem avi consequendam *arg. l. 3. §. pen. in fin. ff. h. t. l. 15. C. de pact. l. 35. §. 1. C. de inoff. testam.* Idque in *Dicasterio Jenens. M. Febr. Anno 1603.* præjudicio quodam confirmatum fuit. Ita quoque *mense Martio Anno 1618. in eodem Dicast.* & in *Facultate Juridicâ Marpurgensi mense Majo Anno 1607.* nec non *Helmstadiensi* pronunciatum fuit: Videatur præterea *Wes. p. 1. consil. 11. n. 14. Marant. disp. 10.* ubi subdifficilem hanc Q. eleganter decidit, & dicit hanc esse communem opinionem, à quâ nec nos recedimus.

XXIV.

Tandem contractus est invalidus de JURE CIVILI POSITIVO.

vo: Et quidem aut EX PARTE IMPERFECTUS, ET RATIONE ALIQUA INFIRMARI POTEST, AUT EST PLANE NULLUS ET PROHIBITUS. PRIORI MODO, juramentum accedens contractui, adeò reddit validum, ut non rescindi queat: E.gr. Contractus est infirmus vel imperfectus RATIONE ÆTATIS, ut puberis, si verò accedat juramentum, reddit eum validum omni meliori modo, ita ut ex minore faciat majorem, *l. 1. & auth. Sacram. puber. C. si advers. vendition.* & minor contra contractum juratum non restituatur, *Treutler. v. 1. disp. 12. th. 2. lit. b. cum ibidem cit. & Bachov. ad eum. Hörner. in Breviar. de juram. thes. 58. Besold. d. d. 2. thes. 26.* Juramentum enim tollit restitutionem, aliàs jura ista, quæ juramentum confirmant & restitutionem negant, servirent nobis de vento, & verbum, inviolabiliter, non haberet effectum, *Bachov. ad Tr. disp. 11. V. 1. th. 9. lit. c. Besold. d. l. thes. 8.* Ratio autem cur firmius pubes juramento obligetur, quam contractu, hæc esse potest, quod citius ad pietatem puberis animus informetur, quam in negotiis contrahendis judicium discretionis adhibere queat, *Panormitan. c. t. de sponsal.* ubi etiam dicit, non esse eandem rationem contractuum prophanorum & sacrorum: Licet autem minor juramenti præstatione perdat beneficium restitutionis in integrũ, non tamen propterea etiam excludatur à beneficio *l. 2. C. de rescind. vendit. Hörner. d. l. thes. 58.* Quia de jure communi hoc beneficium omnibus competit, tàm majoribus, quàm minoribus, nisi minor juret se nolle contraventurum ratione minoris ætatis, vel alia quacunque causa. Tunc enim juramentum porrigit suum effectum tàm ad privilegia minoris, quàm ad jus commune atq; adeò ad omnem causam *Hieron. Schurff. cent. 1. consil. 17. n. 15.* Aliàs juramentum non ita præcisè obligat, ut contractum iniquum servare cogat, aut læsionem ultra dimidium permittat, *Besold. thes. 23. & 24.* sed operatur saltem, cum adest solus defectus ætatis, secus cum aliud vitium accedit, *Menoch. cons. 29. n. 39.*

XXV.

Idem porrò est, cum jus civile aliis personis, majoribus sc. aliquid concessit vel in earum favorem introduxit: Tunc

enim ſemper opponi poteſt beneficium illud, & ſibi imputet, qui cum ipſis contrahit: Si verò contrahens privilegiata perſona contractum juramento confirmat, adeò corroboratur, ut beneficium amplius opponi non poſſit, quia renunciâſſe ei videtur. Juramentum enim habet vim expreſſæ renunciationis, *c. 9. ubi Dd. extr. h. t. Gail. 2. obſ. 27. n. 23. Caroc. de juram. lit. deciſiv. q. 13. princ. n. 7. Seraphin. de privileg. juram. 26. & 70. Dalner. de var. juram. renunciat. c. 4. n. 6. Matth. Coler. conſ. 28. n. 325. Weſ. conſ. 52. n. 34. Frideric. Mindan. lib. 2. de mandat. judic. c. 71. n. 5.* ubi dicit, quod juratò ſe obligans, omni meliori modo ſe obligare voluiſſe, & omnibus exceptionibus renunciâſſe præſumatur. Hoc tamen non procedere puto in iis perſonis, quæ jus ignorant (ut mulieres *l. 9. ff. de J. & f. ignorantia*) quæque de beneficio ſuo prius certiorandæ. Juramentum enim non ad incognita & incogitata porrigitur *c. veniens extr. h. t.* Hoc exemplo mulierum demonſtrabimus: Mulier SCto Vellejan. ſimpliciter vel cum juramento renuncians prius certiorari debet per Notar. de beneficio ſuo *arg. l. 23. §. 2. C. ad SCt. Vellejan. Magnific. D. Ordinar. in Exercit. Juſtin 15. q. 8. D. Finckelthuſ. obſ. 115. n. 14. & 15. & ſeq. Hæn. diſp. ad Inſtit. 3. lib. 1. theſ. 7. cum ibidem allegat.* ubi dicit, ſe hanc ſententiam aliquoties diſputando obtinuiſſe. Aliàs juramentum eſſet in fraudem mulieris, quæ eadem facilitate renunciat, quâ intercedit, *Zang. de Except. p. 3. c. 9. n. 47. Diff. Dd.* referente *Hænon. d. loc.* Priorem tamen ſententiam in praxi obſervari memini. Sicuti etiã in terris Sax. ita pronunciatur, *teſte Zang. d. l. n. 52.* Inſuper non procedit, cùm beneficium aliquod introductum eſt ſecundariò ſaltem in alicujus favorem & utilitatem, E. gr. Filiusfam. SCto Macedoniano renunciare non poteſt, ne quidem cum juramento, quia non principaliter in ejus favorem introductum eſt, ſed potius in odium fœnerat. *§. illud propriè, Inſt. quod cum eo, qui in aliena poteſt. l. 40. ff. de condict. indebiti, l. 1. l. 11. cum aliis ff. ad SCt. Maced.* & ipſum nomen hoc docet, vocab. enim Macedo, denotat talem fœneratorem. *Schneidwin. Inſt. lib. 3. t. 15. §. 1. n. 7.* licet per conſequentiam etiam ad filium ſpectet. Secus tamen

men eſt in perſona parentum, hos enim etiam ſine juramento renunciare poſſe, quotidiana loquitur praxis. Sic remunerator non poteſt inſinuationi renunciare etiam cum juramento: Quia hæc ſolennitas non in favorem donatoris, ſed ut obvietur etiam fraudibus, introducta eſt publico jure, *hocq; eleganti præjudicio in Dicaſt. Jenenſ. M. Jul. Anno 1633. in causa Chriſtoph.* Francken zu Leipzig *confirmatum fuit.*

XXVI.

Poſteriori verò modo, cum ſc. de JURE CIVILI CONTRACTUS EST PLANÈ NULLUS & prohibitus, tunc item diſtingv. putarem, inter Jus CIVILE & CANONICUM. JURE CIVILI certum eſt, quod talis contractus juramento minimè confirmari poſſit, non entis enim nullæ ſunt qualitates, hocque ſatis probat, *l. 112. §. fin. ff. de legat. 1. l. 5. C. de LL. & ſupra ex Zaſ. quæ retulimus theſ. 19.* JURE verò CANONICO, quoties juramentum non vergit in perniciem ſalutis æternæ vel præjudicium alterius, juramentum tale nec vi nec dolo præſtitum, ſervandum, *c. 8. extr. h. t. c. 2. de pact. in 6.* Quum verò juramentum, ſervandum ſit, ſequitur omninò quod contractus etiam confirmetur de jure Canonico. Verum non DIRECTÒ & PER SE contractum prohibitum corroborat juramentum, quaſi de jure Canon. tantum roboris habeat, ut ſanctiſſimas conſtitutiones tollere poſſit (quas tamen potius ſemper imitari & ſequi dicitur Canonicum jus *c. 12. extr. de foro competent.*) & quod jure nullum privatâ autoritate confirmari queat, ſed PER INDIRECTUM & CONSEQUENTIAM tantum, quia cum jurat quis, manet juramentum ſolum, quod ſecundum jus Canon. tutius eſt, ut ſervetur, ſicque juramentum non tollit proviſionem legis, ſed tantum impedit juris civilis efficaciam, ut nubes radios ſolares, & jus civile limitat. Ideò duplex eſt Q. an juramentum contractum invalidum directò corroboret, an verò juramentum ſit ſervandum. *arg. d. c. 8. & c. 2. Tr. dict. diſp. theſ. 2. lit. b. & diſp. 6 theſ. 7. lit. d. cum ibid. citat.* Illud negamus, hoc affirmamus. E, gr. Alienatio fundi dotalis cum conſenſu mulieris facta jurata etiam non valet de jure civili *l. unic. § pen. C. de rei uxor. action. & d. l. 5. C. de LL.* De jure

Effectus. Effectus hujus juramenti est, quod Judex præstito juramento Adversarium vel condemnet, vel jurantem absolvat actione judicati, vel exceptione etiã inde resultante: Ut si debere Reũ 100. Joachimicos Actor juraverit, Judex Reum conde-

demnabit. Quod si Reus solvisse juraverit, Judicis officium est juramentum illud sequi & Reum absolvere, *arg. l. 31. h. t.* Apparet igitur Judicem suâ sententiâ, præhabitâ causæ cognitione controversiam dirimere, sententiamque transire in rem judicatam, quod regulariter procedit; nam interdum, (quod singulare est in hoc juramento) novis instrumentis repertis retractatur sententia lata, cujus rei rationem demonstrat *Wes. in π. h. t. Bachov. §. 11. Inst. de action.* quò me brevitatis studio jam remitto. An verò retractatio fiat ipso jure, an beneficio restitutionis in integrum? Diss. Dd. & tres opiniones refert *Umm. disp. 14 sub num. 99.* Comm. tamen Dd. opinio est, quod fiat beneficio restitutionis *l. 31. ubi Costal. ff. h. t. l. 2. C. si ex fals. instrument. l. 11. ibiq; Castrens. ff. de Except. l. 33. l. 55. ff. de re judic. l. 27. ff. de pœn. Sets. l. 4. c. 17. n. 13. l. 4. C. de re judic.* Notandum autē quod convictus solis repertis instrumentis regulariter utatur, nam si testibus forsan de novis utitur, non audiendus, *Umm. d. l. sub num. 100. per ibid. citat.* Periculum enim subest, ne condemnatus testes subornet, ut sæpè fieri solet, teste Experientiâ rerum Magistrâ. Quandoque tamen etiam per testes sententiam retractari posse non inficiatur idem *Umm. d. loc. Coras. lib. 30. ad l. 31. ff. h. t. n. 27.*

LIII.

Progredimur nunc ad delineationem JURAMENTI PURGATIONIS. Est autem JURAMENTUM PURGATIVUM sive PURGATIONIS, Eid der Endschuldigung / QUOD REO SUSPICIONIBUS ONERATO QUIBUSDAM IN CAUSIS, DEFICIENTIBUS CONTRA IPSUM PROBATIONIBUS LEGITIMIS, UT SESE PURGET, A JUDICE DEFERTUR, *Tr. d. disp. thes. 5. lit. b. & Bach. ibidem.* Fit hujus juramenti quoque mentio apud *Plutarch. in Caton. major. fol. 677. & in l. 6. §. 4. C. de his qui ad Eccles. l. vetustiss. §. 5. C. de jur. Dom. impetrand. auth. novo jure C. de pœn. judic. qui malè judic. Nov. 72. c. 3. Nov. 124. c. 2. & ult. t. t. in Decretal. de purgat. Canon. & de purgat. civil. Schneidwin. Inst. de Nupt. n. 31. Jas. in repet. l. admonendi 31 n. 231. h. t.*

Juramentum purgationis.

LIV.

Dicitur autem purgationis juramentum, quia Reus conscientiam suam purgat, i.e. excusat, & innocentiam suam ostendit, *l.5. princ. ff. de public. Judic. Beust. ad Rubric. h. t. n. 196.* appellatur etiam purgatio Canonica, quia canon eam invenit *Beust. d. l. 203.*

LV.

Object. Est autem huic juramento locus praecipuè in causis arduis & gravioribus, ubi indicia & praesumtiones contra Reum militant, nec tamen argumentis convinci potest *l. 6. §. 9. C. de his qui ad Ecclesiam l. fin. C. de fid. instrument. Nov. 124. c. 2. Beust. d. loc. n. 201. Wesenb. ϖ. de rit. nupt. n. 5. Treutl. dict. loc. thes. 5. lit. b.* Ut in matrimonio, ubi Reo neganti matrimonium, non potest deferri juramentum judiciale, sed purgationis *Schneidwin. d. loc. n. 24. & seq. & in tit. de action. §. 11. n. 30. 31. 32.* Quod si verò nullae adversus Reum sunt praesumptiones, non debet hoc juramento gravari, sed Actore non probante, Reus absolvitur *l. 4. C. de probat. l. 2. C. de edend. Setf. lib. 3. c. 2. Schneidw. d. l. n. 32. Heig. p. 1. q. 40. num. 32. & seq.* Defertur porrò suspectis de fractâ pace publicâ, jure novissimo Imperii Romani germanici *Gail. lib. 2. de pac. publ. c. 7. per tot.* An verò etiam in civilibus causis à judice possit deferri à parte non petitum? Affirm. si justae subsint causae illud deferendi, per textum *in l. 6. §. 5. C. de his qui ad Ecclesiam, d. auth. novo jure C. de poen. judic. c. 12. c. 14. extr. de purgat. Canon.* Quod etiam de jure Saxonico procedit *Nov. Electoral. p. 1. Const. 22.* Proceß vnd GerichtsOrdnung. *Tit.* Von dem *juramento purgativo n. 32.*

LVI.

Defertur ex judicis officio, etiam non exigente altera parte *arg. l. 6. §. 4. C. de his qui ad Eccles. Beust. & Dd. h. t. n. 201.* Et judex debet esse competens, qui nimirum de negotio cognoscere possit, de quo Reus infamatur *c. 15. in fin. extr. de purgat. Canon.* Et Judex personae quoque qualitatem consideret. Unde facilius pro nobili accusato, quàm ignobili purgatio Canonica admittitur *Alciat. Praes. 48. circa finem.*

LVII.

Effectus hujus juramenti est, ut si Reus id præstiterit, absolvi & in pristinum statum restitui debeat, *c. 8. §. fin. extr. de purg. canon. c. habet c. quoties §. quod. c. 2. q. 5. Ordin. Cam. Imper. p. 2. t. 20. §.* Und so er solche purgation gethan *&c.* Sin verò hoc præstare recusat, pro convicto habeatur *c. 10. §. id ipsum igitur, c. cum dilectus extr. d. t. Ordin. Camer. d. t. §. 10.* Würde sich aber *&c.* Hoc tandem observandum, quod non obstante hac juram. præstatione, novæ si probationes emergant, Actori actionem intra decem menses reassumere liceat, *Dd. in auth. novo jure in fin, C. de pœn. judicum. Donell. c. 2. h. t. Mynsing. 2. obs. 82. Gail. de P. P. c. 7. n. 12. Diff. Benst. ad l. 31 n. 141. & alii.* — *Effectus.*

LIIX.

Superest nunc juramentum in LITEM sive ÆSTIMATORIUM, Eidt ins Recht: In genere autem ita DESCRIBI POTEST, QUOD SIT LITIS ÆSTIMATIO, FACTA CUM OBTESTATIONE DIVINA, *t. t. ff. & C. h. t.* Generis loco posuimus æstimationem, unde propriè vocatur litis æstimatorium, (sicque discernitur à litis decisivo) *l. 1. 2. 3. 8. ff. h. t. l. 8. §. 1. de act. rerum amotar. cum aliis.* Nam per id lis non deciditur principalis, sed res æstimatur, de qua lis est, *Schneidw. §. 11. Inst. de action. n. 23.* Hinc & venditioni similis *l. 7. §. 1. ff. de public. in rem action. l. 3. pro empt. l. 10. §. pen. ff. de jure dotium.* quia per juramentum in litem rem Actor Reo quasi vendit *l. 70. de R. V.* Interim tamen suo quoque modo decisio vel transactio vocitari potest, quia quasi transegisse vel decidisse videtur Actor eo pretio cum Reo, quod ipse constituit, ut apertè dicitur *in l. 47. de R. V.* propriè tamen non est transactio vel decisio, licet in uno tertio cum istis conveniat, (ut *in l. 33. C. de transact.* ubi in transactione nullus est locus evictioni, ita & in hoc juramento *l. 35. §. 2. de R. V.*) attamen non simpliciter. Quæ enim in uno conveniunt tertio, inter se non per omnia conveniunt: Hinc & in descriptione diximus, *factâ cum obtestatione divinâ:* quæ verba excludunt reliquas existimationes, rei judicatæ, transactionis, confessionis &c. Et licet quando- — *Juramentum in litem sive æstimatorium.*

que transactio juramento firmetur *l. 41. C. de transact.* id tamen in transactione non semper ita præcisè requiritur, quasi transactio sine juramento fieri non possit, cum tamen potius robur suum accipiat ex consensu transigentium, licet pro majori firmitate juramentum posteà accesserit. Præterea notandum, quod litis vocabulum, non accipiatur hic pro ipsâ controversiâ, quæ in judicio movetur, ut in *l. 4. ff. de judic. l. 1. ff. h. t. l. 65. §. 1. ff. de condict. indeb.* neque actionem sive in rem sive in personam, quæ in judicio exercetur, significet, ut in *l. 36. de V. S. l. un. de lit. contestat.* neque instantiam ut in *l. 14. C. de Judic. c. forus extr. de V. S.* Sed rem, de quâ controversia in judicium est deducta, *l. fin. de condit. tritic. l. 21. §. 2. de eviction.* nec insolens est, si dicis, lis est res, de qua lis est, nam & veteres sic locuti fuere *Varr. lib. 6. de lingv. latin.*

LIX.

Duas habet species. Sunt ejus Duæ Species: Affecionis Una; Altera Veritatis, licet *Zas. ad Rubric. ff. h. t. n. 3. Beust. eodem. loc. num. 142. Schneidw. §. 11. Inst. de action. n. 35.* & alibi tertiam speciem addant, quam vocant Singularis Interesse, hancq; Magistralem Divisionem (uti vocant eam Dd. *Befold. disp. 4. th. 1.*) docendi causâ admittendam esse scribant, *Schneidwin. d. loc.* Alii verò unicum duntaxat statuunt veritatis sc. juramentum & affectionis non agnoscunt, ut *Cothsius.* Alii contra veritatis rejiciunt, & affectionis tantum admittunt, ejus in locum necessitatis juramentum substituentes, ut *Faber*, qui tamen in alio loco sibi ipsi contrarius: Verùm veriùs est, duas tantum esse hujus juramenti species. Licet autem appellationes istæ, (juramentum in litem affectionis & veritatis) juri non sint cognitæ, res tamen cognita est, hocq; perspicuè demonstramus per *l. 4. §. 2. l. 8. l. 1. 2. 3. 5. §. fin. ff. h. t. l. 68. de R. V.* Leges enim scire, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem *l. 17. de LL.* Quid verò Dissent. Resp. possit, fortassis in conflictu videbimus.

LX.

Juram. Affectionis. Est autem Juramentum Affectionis, Quo Actor Rem Suam Pro Arbitrio & Affectione In Infinitum Ultra Verum Rei Pretium Æstimat, *l. 1. in fin. l. 2. §. 1. l. 8. h. t. l.*

l. 1. & 2. l. fin. C. eodem. Schneidw. d. loc. Dixi *remsuam*, quæ sc. ad eum pertinet vel jure Dominii, vel in quâ & ad quam jus aliquod ad minimum ex obligatione descendens habet, *l. 5. in fin. ff. ht. l. 9. ff. si servitus vindicetur l. 15. §. 9. ff. quod vi aut clam.* Dixi insuper, *in infinitum posse jurari*, arbitrio ipsius ad nullam certam quantitatem restricto: Quemadmodum enim in venditione (cui hoc juram. simile est) pretium arbitrio Domini statuitur, ita & hic non iniquum, ut affectioni jurantis indulgeatur. *Duaren. h. t. n. 8.* Notandum autem quod vocab. *in infinitum*, hîc sumatur pro indefinito, uti & aliàs sæpius in jure sic usurpatum legimus, ut *in §. 6. Inst. de hæred. Instit. princ. Inst. de vulgar. subst. §. 15 de confirm. ff. Omnem rem Rempubl.* Et hic numerus semper actu est finitus, unde de civili nec nimis magnâ rei æstimatione Dd. accipiunt. Hinc notanter scribit *Bachov. disp. 7. p. 1. de action. th. 13.* Quia Actores haud dubiè affectioni nimis indulgentes facultate hac abutebantur, probabile est, cum non facilè locum haberet perjurii quæstio, introductum hoc, ut Judex aliquam præfiniret quantitatem, maximè si personam ejusmodi esse judicaret, quæ facilè sit perjurium commissura.

LXI.

Porrò diximus, *ultra verum rei pretium:* Hinc *Zas. ad l. si tutor n. 4. ff. h. t.* non admittendum esse putat hocce juramentum, vocitatque gentilitium non Christianum, & propterea in jure Can non fieri ejus mentionem; æquum enim esset rem quamlibet suo pretio venire. Verum & jam partim ipsi sati factum, quomodo id intelligendum sit: Immò potius hoc magnâ ratione receptum est: Causa autem æquitatis & ratio est, dolus & culpa, quæ duo in parte adversante veniunt punienda. Dolus autem vel præsens vel præteritus est: Illum committit qui restituere potest, non tamen paret & vocatur propriè contumacia *l. 1. 2. 8. ff. h. t. & alibi.* Hunc, qui fecit, quò minus possideret *l. 68. de R. V.* qui dolus pro possessione est *l. 36. pr. eodem.* Dolus autem rei proprius requiritur; Aliud ergo si pupillus conveniretur ex dolo tutoris *per l. 1. C. quando ex fact. tut. vel curator.* vel hæres ex dolo defuncti

l. 4. C. h. t. Culpa, sc. lata, *l. 2. C. h. t. arg. l. 32. depos. Borch. c. 5. n. 8.* non levis, *l. 5. §. 3 h. t. l. 4. §. 4. eadem.* quod rectè Duaren. *ad h. t. n. 33.* de levi & levissima intelligit *Borch d. c. 5. n. 5.* aliàs repugnaret *d. l. 2 C. h. t.* Et licet dicant Dd. id speciale esse in favorem pupilli, attamen nullam probabilem habent rationem & repugnat *d. l. 4.* in quâ de causâ tutelari agitur & nihilominus negatur ob causam in litem jurari. E. omninò de levi culpa exaudiendum id est, & ita *in l. 5. §. 3. h. t.* sub dolo lata culpa continetur per *l. 32. deposit. l. 1. § 1. ff. si mensor. fals. mod. dixerit, & alibi.*

LXII.

Defert autem hoc juramentum SOLUS JUDEX, adeò, ut si alius detulerit, vel eo non delato juratum sit, nulla sit religio vel jusjurandum *l. 4. ff. h. t. Duar. h. t. c. 4.* nihil autem refert an judex sit ordinarius, an delegatus, an arbiter, *Sctf. c. 5. c. 3. n. 2.* illud verò controversum, an in arbitrio judicis sit deferre nec ne? Variæ sunt de hac re opiniones, quas conciliat distinctio *Borch*; quem adj *in Comm. ad h. t. c. 3. n. 2.* Aliàs si Judex officio suo non fungatur, nec deferat juramentum, rectè ab illo appellari potest, *Duar. ad l. 5 n. 24. h. t.* Defert porrò Judex soli Actori, non tamen invito, sed eo volente *l. 2. h. t.* pertinet enim ad ejus favorē *arg l. 1. h. t. l. 71. de R. V. Sctf. l. 5. c. 3. n. 9.* non tamen cuivis Actori, sed qui Dominus est litis, quique eam suo nomine contestatus *l. 7. l 8. h. t. Borch. c. 3. n. 5* Unde nec Procurator admittitur, etsi litis contestatione Dominus sit factus *Borch. d. l. Besold. d. l. thes. 5.* quia alieno nomine contestatus est: Alii tamen admittunt Procurat. si speciale habeat mandatum & affectionem ab ipso Domino intellexerit *Donell. lib. 4. h. t.* quod tamen opinione non ratione obtinere ait *Hillig. ad Donell. c. 7. h. t. lit. b.* nec admittitur pupillus *l. 4. h. t. Borch. c. 3. n. 7. Sctf. c. 4. n. 7.* Excipitur tamen adolescens, qui, si velit, iurare potest *l. 4. in fin. pr. h. t.* Rat. Quia pupillus totus pendet ab autoritate tutoris, adolescens verò, etsi Curatoris consensu in judicio experiatur, ipse tamen potius agere videtur, quàm Curator *Borch. d. l. n. 23.* Item nec admittūtur tutores vel curatores *l. 1. §. ult. ff. de admin. tut.*

tut. d. l. 4. h. t. nisi volentes *Borch. d. l. n. 12. d. l. 4. fin. princ.* Nam cum jurant volentes, sunt quasi Domini, & ipsis res optimè cognita & juram. ad utilitatem pupilli refertur *l. 1. l. 2. C. h. t. Besold. d. l. th 5.* Nec mater pupilli: De jure veteri enim tutrix esse non potest, *l. 4. h. t.* Hodiè verò cum Accursio (cujus magna est autoritas, & qui omnes alios antecellit *Bl. in l. hered. C. depositi. Cyn. in l. 1. C. de obligat.*) *Borch. c. 3. & aliis*, affirmandum, cum hodiè tutrix esse possit *Nov. 94.* An verò etiam hæredibus possit deferri? Comm. Disting. si verisimiliter informati fuerint, *Gail. 2. obs. 43. n. 1. & seq. Mynsing. 4. obs. 12.* Si verò defuncto dum viveret, oblatum fuerit, & ab eo susceptum, id pro præstito habendum: Verùm hoc non indistinctè admittendum esse putamus, partim ob malitiam hominum, partim propter mortem sæpè ex improviso oblatam, *Bachov. d. disp. 21. th. 10. lit. G. & th. 12. lit. E. Magnif. ac Nobiliss. Dn. D. Priesch. Consil. Sax. Aulic. Patronus ac Promotor meus permagnus, in disp. s. pro loco de juram. in lit. th. 3 in fin.*

LXIII.

Juratur autem in litem IN OMNIBUS CAUSIS sive in rem *l. 5. h. t. l. 16. §. 3. ff. de pignor. l. 68. de R. V. l. 7. in fin. ff. si servitus vindicetur*, sive in personam *l. 18. ff. de dolo. §. 31. Inst. de action. l. 25 ff de O. & A.* sive bonæ fidei *l. 1. L. 26. ff. deposit. l. 48. locat.* Directis tamen, non verò contrariis *Accurs. ad l. 5. ff. depos. Duaren. d. l. n. 21. Borch. c. 4. n. 73.* & iis, in quibus de re restituenda agitur *l. 5. pr. ff. h. t. l. 3. §. 2. ff. commod.* quæ tamen à nobis debet esse profecta, non ubi de re aliena à nobis præstanda agitur *l. 8. h. t. l. 9. de act. rerum amotar. Duaren. d. loc. Besold. in delibat. p. 2. w. h. t. tit. 3. q. 9. cum ibid. citat. per l. 1. h. t.* Hinc cum in actione empti agatur de re tradenda, non restituenda vel exhibenda *l. ex emt. de action. empt.* non poterit in litem jurari *Besold. d. loc. Bachov. ad Tr. th. 12. lit. a disp. dict.* ubi & alias duas rationes non contemnendas affert: Nec ob *t. l. 5. pr. h. t.* ad quam Resp. *Besold. dict. loc. in fin.* Item sive arbitraria sit actio *l. 68. de R. V. l. 16. §. 3. de pignor. l. 41. §. 1. ff. de re judic. Diss. Anton. Fab.* cui tamen satisfecit *Nobiliss. D.* *Materia circa quā.*

Prue-

Prüeschenck. in cit. disp. An verò porrò locum habeat in actione quod metus causâ & doli, quæ & ipsæ arbitrariæ sunt: Negat, *Fab. 16. conject. 18. & Casp. Schifordegker lib. 1. ad Fabr. tr. 25. q. 6.* & alii, verùm contra expressam legem *l. 68. de R. V. l. 18. de dol. Duar. h. t. Borch. c. 4. n. 34* non tamen id procedit in actione furti pœnali *l. 50. pr. ff. de furt.* ubi dicitur in hac actione duplari vel quadruplari verum rei pretium, quod certè in litem juramento minus congruit, ubi juramento Actoris & pro arbitrio ejus res æstimatur: Videatur *Bachov. in Exerc. ad post. part. Chiliad. Anton. Fabr. decis. 80 error. 1. Majer in Colleg. Argentoratens. de in lit. jur. thes. 6.* Secus tamen esse in condictione furtiva tradit *Nobil. D. Prüeschenck in alleg. disp. thes. 6* Insuper de stricti juris actionibus dubitatur, an & in illis huic juramento locus sit? Quod Comm. Dd. negant per *l. 5. & 6. ff. h. t. Duar.* verò *h. t. c. 3.* affirm. sc. in illis stricti juris actionibus in litem jurari, quibus de re sua restituenda Dominus agit. Tandem præstatur super iis rebus hoc juramentum, in quas cadit affectio, seu quarum incerta est æstimatio *l. 3. ubi Donell. h. t. arg. l. 8 h. t. l. 9. de act. rerum amotarum junct. l. 1. de contrah. empt.* Hinc de nummis, cæterisque rebus fungibilibus hoc juram. nunquam præstatur *l. 28. ff. de fidejuss. in verb.* eos merce non æstimari. Et nec de iis juretur, necquicquam *l. 3. h. t. obstante.*

LXIV.

Effectus Hujus Juramenti est, quod per illud possit Dominus rem suam etiam ultra verum rei pretium ex affectione suâ, quam in rem illam habet in infinitum nulla taxatione Judicis præfinitâ aut ea præfinitâ, ad modum statutum æstimare *l. 1. l. 2. l. 8. h. t. l. 25. solut. matrim.* adeò, ut Judex etiam illi æstimationi stare, & Reum Actori in id, quantum in litem juratum est, condemnare cogatur *d. l. 25. §. 1. l. 18. de dol. l. 4. §. 2. h. t. & alibi.* Judex verò ante juramentum modum præfinire & statuere debet, non verò quando juratum est *Donell. lib. 26. c. 11.* quamvis non desint, qui negare conantur, Judicem posse modum statuere contra express. *l. 4. §. 2. h. t.* Illa

autem

autem quantitas à Judice determinata non continet veram rei æstimationem, sed eam in pœnam contumaciæ omninò superare debet, Nec *obst. l. 68. de R.V.* ad quam respondet *Donell. d. c. 11. lib. 20. c. 6. sub fin.* verba illa: Sine ulla taxatione, ad verbum juravit, sive Actorem, referenda esse, non verò ad verbum damnandus, sive Judicem damnantem, hoc sensu: Cum juravit Actor nullâ taxatione à Judice præfinitâ, id Judicem sequi debere. Judex itaque modum & taxationem adjicere potest, nisi magna causa diversum svadeat, jubeatque Reum vel absolvere in totum, vel minoris condemnare *l. 4. §. 3. b. t. Hunn. tr. rerum æstimat. q. 17.* Magna verò causa sunt probationes postea repertæ, si sc. doceatur instrumentis, aliisque probationibus & documentis post repertis, vel possessorem non desiisse dolo possidere, justamque habuisse possidendi causam, adeò reverà contumacem non fuisse, aut verò petitorem non fuisse Dominum *l. 4. §. 3. b. t. l. 7. & seq. eodem. & l. 2. C. eod. Nov. 82. c. 20. arg. l. 31. ff. b. t. & l. fin. C eod.* Et licet ibi non agatur de juramento in litem, bona tamen illatio est, si species illæ juramenti, de quibus ibi, ex gravi retractantur causa, posse etiam retractari juramentum in litem affectionis; Nec obst. *l. fin. ff. b. t.* quia ibi agitur de juramento veritatis *Donell. d. c. 11.* Præterea ibi dicitur non facile quæri, quod nos non negamus, diximus enim id interdum ex magnâ causâ tantum fieri. Tantùm de affectionis juramento, sequitur nunc altera species.

LXV.

Est autem juramentum in LITEM VERITATIS, Quo ACTOR REM LITIGIOSAM ÆSTIMAT QUANTI REVERA EST, VEL quo VERUM ÆSTIMATUR PRETIUM *l. 2. §. 1. l. 3. l. 4. § fin. l. 5. §. fin. ff. b. t. Borch. d. tr. c. 2. n. 7. Schneidw. d. loc. n. 35.* Defertur autem hoc juramentum non ad dolum puniendum, sed ex necessitate, quia fortassis aliter de rei æstimatione constare nequit: Unde & NECESSARIUM VOCATUR (aliquantò latius) *l. 5. §. 4. b t.* Hinc & difficultas probandæ æstimationis, quam rei interitus, sive defectus *l. 5. §. fin. b. t. Duaren. ad d. l. 5 §. ult. n. 52. b. t. Mynsing. cent. 4. obs. 12.* vel deterioratio pepe- *Altera species.*

rit *l. 3. §. 1. de condict. tritic. l. 4. eod. l. 3. §. 1.* **Commod. Donell.** *ad l. 5. §. planè Bocer. disp 18. thes. 101.* item mora dolus & culpa, *l. 2. §. 1. & ult. & l seq. h. t. l. 23. l. 91. §. 3. l. 82. §. 1. de V. O.* quâ factum, quo minus res petita extet, *Umm. disp. 20. sub n. 35 th 8.* causam huic juramento dederunt.

LXVI.

Hoc porrò juramentum itidem solus judex defert *l. 5. §. fin. h. t.* quanquam etiam quidam velint, Reum posse in præsentia Judicis deferre, ut *Donell. l. 26. Comm. 11. arg. l. 12. princ. C. de R C. Umm. th. 7 sub n. 31. dict. disp. 20.* Diss. tamen *Hunn. d. tr. de æstim. rer. q. 18.* Eadem autem hic observanda sunt, quæ in juramento affectionis, unde & iis non potest deferri, quibus nec potest affectionis.

LXVII.

Locum autem habet in Omnibus Actionibus, tàm stricti juris, quàm bonæ fidei, in quibus ex arbitrio actoris in litem jurari nequit *l. 3. l 5. §. fin. l. 9. h. t. Bocer. d. disp. 18. th 102* Defertur insuper de illis rebus, quarum incerta æstimatio est: Ideò non defertur, quando de verâ rei æstimatione constat, quæ aliàs ignoratur, nec aliâ ratione sciri potest, *Umm. d l. sub num. 37. cum ibid. citat.* In rebus ergò, quarum certa est æstimatio manifestè deficit hujus juramenti finis *arg. l. 3. h. t. junct. l. 1. de contrah. empt.*

LXIIX.

Effectus Hujus Juramenti est, quòd Judex cogatur tanti damnare Reum, quanti Actor per hoc jusjurandum rem suam aut sibi debitam æstimârit, adeoq; juramento Actoris omninò stare compelli potest, nec nisi itidem magna ex causa de perjurio ejus, qui ex necessitate juris in litem juravit, quæri potest *l. fin. ff. h. t.* Magna verò iterum causa est, si nova instrumenta reperta *l. 4. §. 3. h. t.* quibus rei pretium designatum erat, ex quibus constet veram rei petitæ æstimationem jurejurando excessisse Actorem, tunc enim juramento non statur, sed quod amplius solutum est, actione doli repetitur

arg.

arg. l. 20. §. ult. l. 21. ff. d. t. Donell. in l. fin. ff. h. t. Umm. d. loc. sub num. 46.

LXIX.

Affine huic juramento in litem est JURAMENTUM ZENONIANUM, de quo *in l. 9. C. unde vi*, quod à Zenone, ejus Autore sic dictum: Differt tamen ab illo eatenus, quatenus in delatione ejusdem non tàm indulgetur affectioni ratione rei certæ, quàm ratione rerum plurium, quas sibi ereptas Actor contendit & magis damnorum, quæ sibi vi illata esse conqueritur, *Anton. Fab. 18. error. pragmatic. 8.* Item nec planè absimile est juramentum illud MINUTIONIS, sive MINORATIONIS, der Verminderungs Eid / in foro Saxonico usitatum & frequens, *Carpz. in defin. forens. ad Const. 23. p. 1 defin. 18. in princ.* Est autem minutionis juramentum, quo Reus damnum per vim Actori illatum, ab eoque æstimatum minuit, atque moderatur. Nec hoc juramentum aliter Reo deferendum, quàm si Actor hoc à Judice petierit, judex enim nemini citra petitionem officium suum impertit *l. 4. §. 8. ff. de damn. infect.* quod sane peculiare est in hoc juramento, *Rauchbar. p. 1. q. 9. n. 43.* Ejus formam videre licet, apud *Volckm. in suo lib. Notar. p. 2. cap. 43. form. 19. & alios practicos.* Differt tamen ab hoc juramento in litem, quod hoc scil. minut. deferatur reo: illud verò Actori, *l. 7. ff. h t. Carpz. in defin. for. p. 1. Constit. 23. def. 18. n. 8.* & quæ sunt aliæ differentiæ: de quo juramento in specie in inclytâ hac Salanâ latius olim disputatum fuit, in disp. quadam augurali Ann. 1639; Pergimus jam in explicandis reliquis jurament. speciebus.

LXX.

Non inconcinnè autem seqq. species ad juram. necessarium referri possunt, quia quandam necessitatem in se habent, aliàs verò non nisi æquivocè ad id referuntur, *Umm. disp. 14. thes. 12. sub num. 70.* I. JURAMENTUM CALUMNIÆ, Eyd vor Gefehrde. Est autem juramentum CALUMNIÆ, RELIGIOSA ASSERTIO, QUOD A LITIGANTIBUS DE CAUSA BONA FIDE PROSEQUENDA, PRÆSTATUR, SIVE QUOD PRÆSTATUR DE BONA CONSCIENTIA, SUÆQUE CAUSÆ BONITATE, QUAM QUIS

Opinatur *l. 2. C. h. t. Nov. 49. c. 3.* Dicitur autem calumnia à calvo, calvis calvire, & passivo calvor, i. e. frustrari, decipere, *l. 233. de V. S. Schneidwin. Inst. de pœn. tem. litig. §. 1. n. 1.* alii rectius ab Hebræo Calam, h.e. calumniâ & ignominiâ affectus est, calumniosè tractatus est, derivant: Hinc patet, quod vocabulum hoc, calumnia, hîc non sumatur in sensu Ethico, quo nihil aliud est, quàm falsa & malitiosa criminis impositio, sed in sensu juridico, non quidem pro malitiosâ juris interpretatione & fraudibus, quas litigium exercentes in judicio usurpare solent, ut in *l. 9. ff. ad exhib. Cic. 1. offic.* neque pro accusatione ut in *l. 22. C de pœn. ubi gloss.* neque pro delicto, h.e. eo actu, quem calumniandi causâ quis facit *l. 37. de minor. & c. calumniam extr. de pœn.* Sed calumnia hîc est, cum quis ex certâ aliquâ scientiâ & dolo injustè agir, aut excipit, *l. 1. §. 2. C. h. t. Umm. disp. 12. th. 7. Schneidwin. d. loc. ubi plures LL. allegat & fusiùs declarat.* Proprium autem hujus juramenti est, quod fit non de veritate *c. 54. ubi gloss extr. de elect.* sed de credulitate *c. pen. ibid. gloss. extr. eod. l. 2. §. 2. C. h. t. Setf. l. 3. c. 1. n. 6.* vel ut alii, non scientiæ, sed opinionis, aut de veritate quidem conscientiæ ac intentionis, de credulitate autem facti & obligationis: Sic is, qui de veritate jurat falsum, in credulitate jurat verum, nec efficitur perjurus *Hillig. in Donell lib. 24. c. 3. sub lit. e.* Et tamen falsum (etiam quoad credulitatem jurans) vel alia hujus juramenti capitula non servans, fustigationis & infamiæ pœnam meritò sustinet, *l. 16. C. Ex quibus caus. infam. cum aliis. Setf. l. 3. c. 3.*

LXXI.

Duas habet species. Dividunt autem Dd. hoc juramentum In Generale & Speciale, quod etiam Particulare appellant, *Hænon. Inst. disp. 23. thes. 14. Wes. n. C. h. t. Schneidw. d. l. n. 4.* Generale Est, quod tàm ab Actore, quàm à Reo, in totâ causâ & negotio præstatur in litis auspicio, & semel tantum jurant, se non calumniandi animo, sed juris sui opinione & fiduciâ fretos, bonâ fide & conscientia causam suam, quam se bonam fovere putant, prosecuturos *l. 2. §. 9. ubi Dd. C. h. t. Nov. 49. c. 3. & auth. hoc sacramento C. eod. Obrecht. tr. de juram. calumn. c. 2. n. 2. & seq.*

LXXII.

SPECIALE verò EST, quod etiam vocant JURAMENTUM MALITIÆ, Eid der Boßheit/ vel PARTICULARE *Berlich. concl. 3. p. 1. c. 31. n. 1. & alij*, quod non semel, sed quotiens Judici æquum visum fuerit, tàm ante, quàm post litis contestationem, juramento generali præstito vel non præstito, etiam ab invitis litigantibus exigitur, *Gail. 1. obs. 87. n. 3. c. 2. extr. in 6. h. t. l. 2. §. 4. C. eodem.* Et hoc quidem olim in singulis judicii partibus præstandum erat *l. 1. C. h. t.* Hodiè verò jure civili novissimo generale tantùm in usu est, & speciale abrogatum *Nov. 49. c. 3. §. 1. d. auth. C. h. t. Schneidw. d. loc. n. 4. Schult. in Synops. judic. thes. 45.* Secus tamen est de jure Canonico, ubi adhuc observatur speciale juramentum *c. 2. §. fin. h. t. in 6. Gail. 1. obs. 87. n. 3.* Sic jure Saxonico generale illud calumniæ juramentum abolitum & speciale tantùm exigitur Landr. *lib. 3 artic. 88 n. 3 Schult. dict. loco. Wes. ad C. h. t. Georg Rotschütz in Process. Jur. Sax. p. 1. artic. 14. n. 5. Schneidw. d. loc.* Et licet quidam hoc ratione carere putent, *& gloss. ad dict. artic. 88.* diabolicam vocitent, attamen fallunt & falluntur. Hæc enim opinio à Sereniss. Elect. Saxon. Joh. Georg. *Noviss. constit.* confirmata fuit ob graviss. rationes *Tit. 33.* von dem Eid *malitiæ.* Interim non negamus, etiam in foro Saxonico dari quosdam casus, ubi etiam generale juramentum præstatur, quos recenset *Berlich. concl. 31. p. 1. n. 5.* Sicut & quidam putant de jure civili etiam post novam illam constitutionem editam, juram. calumniæ speciale in quibusdam casibus præstari debere, *Carpz. in Jurispr. Forens. p. 1. const. 12. defin. 20. n. 6. & 7.*

LXXIII.

Ordo nunc postulat, ut causas pertractemus: Hoc autem juramentum quidam adscribunt juri gentium *Schneidwin. d. l. n. 5.* Alii juri civili Justin. *Wes. ad C. h. t. Umm. d. loc. per text. express. in l. 2. §. 4. C. h. t.* quod utrumque suo sensu verum est: Distingv. enim inter FORMAM GENERICAM & SPECIFICAM: Quoad illam jurisgentium est, quum & aliæ gentes ante Roman. eo juramento usi fuerint: Quoad hanc rectè juri civili adscribitur, quia ab Imper. auctum *l. 2. C. h. t. Setser. lib. 3. c. 2.* *Causa efficiens.*

n. 2. Et dicitur ab Imperatore inventum, quia quæcunque Impetator Justin. approbavit, & imperiali remedio illuminavit, sua fecit, *§. sed neq;, de Concept. ff.*

LXXIV.

Subjectū. Sequitur nunc ordine subjectum, sive personæ, quæ hujus juramenti præstationem subire coguntur: Regulariter autem personæ, quæ in judicio litigium exercent ad illius præstationem adstringuntur. In quolibet autem judicio tres versantur Personæ, Judex, qui Causæ Dux & Præses, & duæ litem moventes Actor & Reus *c. forus 10. extr. de V.S. Suthol. diss. 19. ad Inst. thes. 33. Schult. in Syn. Judic. thes. 8.* Q. autem (1) an Judex calumniæ juramentum præstare cogatur? Si à jure veteri cum Dd. hujus quæstionis decisionem repetimus, omninò dicendum videtur ipsum teneri *arg. l. 2. C h t. ibid; Cyn. n. 1. Cic. pro Rosc. & in aliis Oration. Augustin. de LL. c. 15.* ubi dicit hoc lege Agrariâ Saturninum cavisse; Si verò hodiernum usitatum morem contemplamur, verior est Negativa. Hodiè enim sive Judices majores sive minores, in officii sui ingressu jurant, quod secundum LL. normam & juris formam omnia judicare velint, *l. 14. C. de Judic. Nov. 69. c 3. in fin. Nov. 86. c. 3.* quod juramentum etiam consvetudine non potest remitti, *Mynsing. 2. observ. 76. Sets. l. 3. c. 3. n. 3. Treutl. vol. 1. D. 5. thes. 6. lit. b.* (excepto tamen judice, qui ex arbitrio judicium suscipit, *Menoch. lib. 1. arb. judic. quæst. 58. Covarruv. 2. var. resolut. 13. n. 3.*) Hinc necessum non est, ut per singulas causas novo juramenti vinculo constringantur, *auth. hodie. C de judic. Nov 8 Nov. 15. §. 1. Nov. 29. c. 3. princ.* Nemo enim superfluo juramento onerandus *c. sicut 2. extr. de probat.* Sed eo tanquam pharmaco & condimento parcius utendum *Rittershus. p. 1. c. 9. n. 27. in par. it. Feud.* Tenentur igitur soli litigantes, qui litis fluctibus se committunt, hoc præstare *l. 2. §. 4. C. h. t.* & primum Actor *d. l. 2. §. 4. §. 1. Inst. de pœn. temerè litig. Nov. 50. in fin.* Deinde Reus jurat, (& hi vocantur personæ principales *c. 3. extr. h t.*) modò legitimam personam habeant standi in judicio *arg. t. t. C. qui legitim. personam.*

LXXV.

LXXV.

An verò præcisè necessum sit, ut ipsi Principales jurent, an verò etiam illud per Procuratorem fieri possit? Posterius Affirm. *per l. 13. §. 13. ff. de damn. infect. l. 12. C. h. t. c. 6. & seq. & c. ult. extr. h t. in 6.* Quod & in Camerâ observatur *Gail. 1. obs. 83. n. 2. Schult. Syn. Judic. thes 46.* modò specialiss. mandato munitus sit, daß er eine besonder Gewalt habe. In Camerâ tamen generale mandatum ad præsentes & futuras causas sufficere, tradit *Gail. d. l. n. 3. Schwanmann in Process. Cameral. lib. 1. c. 48. n. 23.* Insuper potest Judex inspectâ controversiæ qualitate & personarum principalium conditione non admittere Procuratorem, etiamsi speciale mandatum habeat, & cogere Principales, ut ipsi jurent, *c. 3. extr. h. t. ubi gloss.* Atque ita in Camerâ quondam observatum fuisse, refert *Besold disp. de juram. calumn. thes. 39.* De jure verò Saxonico secus est, ubi semper principales jurare coguntur, *Schult. d. thes. 46. cum ibid. alleg. text. & Dd.* ubi hoc etiam in personis illustribus obtinere statuit: Et totâ die ita pronunciatur in Dicasterio Jenensi.

LXXVI.

Porrò hoc juramentum subeunt illæ personæ, in quas lis fecit transitum, ut hæredes *l. 22. ff. de fidejuss.* Censentur enim una eademque persona cum defuncto *l. 34. de R. J. cum aliis.* Et quia hoc juramentum non de veritate certâ, sed de opinione tantùm præstatur, illæsâ conscientiâ deponi potest, *Wes. n. C. h. t. n. 6. Thoming. decis. 46. n. 18. Beust in Rubric. ff. de jurejur. n. 63. & seqq. Schneidwin. d. loc. num. 6. cum ibidem allegat.*

LXXVII.

Jurant etiam alii, qui alienam litem tractant, ut Procuratores *c. 6. extr. h. t. in 6. l. 2. C. h. t. Nov. Leon. 107. in fin.* quod & in Camerâ observatur, teste *Gail. 1. obs. 89.* Procuratores enim cum litis Domini fiant *l. 11. C. de procur.* adeoque parùm conscientiari & omnia mala cogitare dicantur *Wolff. in memorab. P. 2. p. 1038.* ut etiam Canes Curiarum, *Schneidw. Inst.*

de action. §. *triplic. n.10.* & molossi nominentur, necessum est, ut ipsorum malitia & calumniandi ars compescatur, ne tam sæpiùs causarum pessimarum Procuratores existant, *Schneidw. d. l. n. 6.* & hoc verum est, etiamsi ipsorum Principales juràrint *Umm. disp 12. sub num.* 33. Hinc memoratu dignum refert *Frideric. Mindan. in Epist. dedic. lib. de Process.* de Procuratore quodam in Agone mortis jacente, qui sæpiùs cum lamentabili murmure hanc vocem edidit: O juramentum calumniæ! Verùm hodiè contrarium usu observatur *Wes. ir. C. h. t.* ne religiosiores absterreantur à Procuratoris munere, quod tamen ut frequentissimè suscipiatur, Reipubl. maximè interest *l. 2. §. 2. ff. de Procurat.* quamvis *Schneidwin. d. loc.* ex aliis referat, quod hoc juram. Procurat. remitti non possit. Idem de causarum Patronis vel Advocatis, qui in jure Rhetores & Oratores nominantur *l. 33. C. de Episcop. & Cler. l. 6. C. de Advoc. divers. judic.* dicendum est *l. 14 §. 1. C. de Judic. l. 2. princ. C. h. t. Nov. Leon. 107. in præfat.* ut audaculorum Advocatorum quorundam temeritas compescatur. Quam tamen opinionem de extraordinariis Advocatis, qui extra numerum, neque jam fide datâ curiæ obligati sunt, exaudiendam esse autumant *Umm. disp. 12. n. 33. Besold. d. disp. th. 36.* Non verò de iis, qui ex officio ordinario, publicâ autoritate imposito, advocationis munus suscipiunt, *Gail. 1. obs. 88.* Hi enim initio officii, cum primum ingrediuntur, jurant, *per text. express. in Ordin. Cameral.* & quos allegat *Schult. d. l. thes. 47.* Boni enim viri salutis æternæ non immemores & contra juramen. præstitum venire non præsumuntur *Mynf. 6. obs. 72. in fin.* sed semper animo ipsorum obversatur, improbis verò occurrit nunquam, etiamsi illud vel centies repetitum esset *Wes. d. l. n. 6 Setf d. l. n. 84.* à justo autem non exigitur juramentum *c. etsi Christus extr. de jurejurando.*

LXXIIX.

Porrò tutores quoque & Curatores ad calumniæ juramentum adstringuntur, hi enim ut rem alienarum administratores melius possunt scire causæ instantiam, an bona scil. vel mala sit, quàm ipsi pupilli *l. 2. §. 2. C. h. t. ubi Dd.* Quod si ve-

verò minor ejus principalis melius esset informatus, tunc ipse minor à Judice compelli potest ad hoc jusjurandum *Br. in d. l. 2. § 2. n. 13. & 18.* Fieri tamen hoc debet præsente Curatore *Sesf. lib. 3. c. 3. n.* 103. Quod *Sichard. in d. l. 2. §. 2.* extendit etiam ad Impuberes, modo doli sint capaces. Jurant porrò hoc juramentum, qui legitimam habent administrationem, sive sunt Oeconomi, pro Ecclesia *c. 3. & 4. extr. h. t. in 6:* Hospitalarii pro hospitali, Vicedomini & omnes ii, qui universalem aliquam obtinent gubernationem, *Sesf. d. l. c. 3. n. 107.* & quidem jurant in animas suas *d. l. 2. §. 2. Schult. d. loc.*

LXXIX.

Excipiuntur tamen ab hoc juramento nonnullæ personæ, & quidem (1) Personæ Imperatoris, Regis & summam dignitatem obtinentium, propter juris præsumtionem, quam pro se habent, *Sesf. disp. 36. ad l. jusjur. thes. 2. lit. f. Hillig. ad Donell. 24. Comm. 3. lit. m.* Quod etiam ad Cæsaris fiscalem maximè jure Camerali, quo fiscali hujus juramenti præstatio remissa est, extenditur, *Gail. 1. obs. 90 n. 4. Mascard. de probat. V. 1. conclus. 25. n. 9.* Quicquid enim facit, jussu ac mandato Principis facit, geritque officium necessarium, ut meritò juramento hoc gravari non debeat *Bach. ad Tr. vol. 1. disp. 21. th. 4. d. l.* Calumniari enim non præsumitur, quem officii necessitas satis superque excusat *l. 5. §. 13. ff. de his, quæ ut indign. l. 2. C. de his qui accus. non poss. cum aliis.* Et hoc ita hodiè consvetudine viget. (2) Excip. Clerici: Quod tamen verum est de jure antiquo, quo ab omni juramenti præstatione immunes erant *l. 25. §. 1. auth. sed judex. C. de Ep. & Cler. Borch. c. 4. n. 13. Wes. in. C. h. t. n. 6.* Posteà verò cum etiam in Ecclesiasticis personis calumniæ frequentes erant, conveniens fuit, novis morbis nova præparari antidota *c. 1. §. fin. h. t. c. nulli de Elect. & elect. pot. in 6.* Et sic etiam constitutum, ut Clerici jurent, *c. 5. c. fin. extr. h. t. in 6.* quamvis ipsis liberrima potestas præstandi relinquatur per alios *c. 3. & fin.* eodem.

LXXX.

Insuper excipiuntur, Pater cum liberis, & Patronus cum libertis litigantes in iis causis, quas cum liberis & libertis habent, *l. 8. §. pen. ff. qui satisd. coguntur l. 13. §. 14 ff. de damn infect. l. 7. §. 3 ff. de obseq. parent. & Patron. præstand. l. 16. h. t. Umm. disp 12. n. 35. Einckelthus. in obs. pr. 76. n. 7.* semper enim filio patris & liberto Patroni persona, sancta, venerabilis & honesta esse debet *l. 6. ff. de in jus voc.* Nec movet in contrarium *l. 34. §. 4. h. t.* quam Dd. nodum Gordium vocant: Quia observandum, quòd ibi remittere non simpliciter accipiatur, uti aliàs pro endlassen / sed propriè intelligatur, idemque sit ac retromittere, h. e. transferre, referre juramentum in Patronum, heimschieben / prout etiam sic accipitur apud *Senec. 2. benefic. 32. Liv. 28. princ. vid. Obrechtus c. 5. Jacob Cujac. lib. 4. F. t. 46.* qui testantur in aliis exemplaribus legi retromitti. Item Excip. Dominus Feudi & Vasallus, *2. F. 33. §. in quibus. Finckelthus. Controv. Feud. 11. vers. 19. Umm. 12. th. 8. n. 36.* Quamvis si rationibus certandum esset, contrarium facilè quis cum Donell. obtinere posset, teste *Schult. in Synops. Judic. th. 44.* Si verò Dominus spontè hoc præstare paratus sit, admitti potest; provisio enim hominis facit cessare provisionē legis *l. fin. ibiq. gloss. C. de pact.* & quilibet beneficio suo renunciare potest, *l. 29 C. de pact. Setf. c. 4. l. 3.* hocque etiam procedere putat *Vultej. l. 2. F. c. 3. n. 6.* etiamsi fidelitatis iuramentum non præstitum fuerit, quia lex non distingvit: quamvis in praxi & usu secus observetur, teste *Borch. tr. de F. c. 10. n. 40.*

LXXXI.

Materia. Juratur autem REGULARITER IN OMNI CAUSA de calumnia *l. 1. pr. C. h. t. Besold. dict. disp. th. 10.* sive sit magna, sive parva, sive compromissaria, sive ordinaria, sive summaria, sive delegata, *Besold. d. loc. Schneidw. d. l. n. 7. cum ib. allegat. Zang. de Except. P. 1. c. 2. n. 7.* Item, sive principalis, sive accessoria vel incidens sit: Quanquam si incidens principali cohæreat, præstito super principali juramento, super incidenti amplius ju-

jurandum non sit, *Obrecht. c. 8. n. 8.* Item, sive sit causa primæ instantiæ, sive secundæ, *Schneidw. d. loc.* etiamsi in prima instantia juratum sit, *Besold. d. l. thes. 16. cum ibid. alleg. text.* Non obst. *Nov. 49. c. fin.* Cum diversa & longè alia appellationis causa à prima sit. *Br. in l. cum Judicis C. h. t. n. 7.* & totiens de calumnia jurari debeat, quotiens ea metuatur *l. 3. §. 12. de dam. infect. c. 2. pr. h. t. in 6.* Jam autem non minùs in appellationis judicio, seu secundâ instantiâ, quàm in primâ calumniâ metuitur: Cumprimis hùc facit, quod ad appellationis remedium temerario ausu prosilire non liceat, *Schult. in Syn. Judic. posit. 43 cum ibid. citat.* Idem obtinet in Ducat. Saxon. *artic. 14. & 16.* Landr. in leuterâte, quamvis non quivis leuterans *in dict. Constit.* adstringatur. Idem porrò obtinet in Revisionis Judicio, *Recess. Deput. Anno 1600. §.* Und ob wol hierbey rc.

LXXXII.

An verò etiam locum habeat in Caus. Criminal. non convenit inter Dd. Quidam enim Affirm. propter generalitatem textus *in l. 1. C. h. t. junct. l. 2. eod.* atque hoc in praxi sic receptum esse testatur *Schult. d. l. th. 43. Camill. Borell. summ. decis. tit. 51. num. 34. cum ibid alleg. Constit. Frider. V. F. 10. in c. unic. vers. si quis.* Et licet *Obr.* id speciale esse dicat, tamen non probat: Quidam verò planè negant, *ut Obr. Sect. l. 3. n. 8. Cujac in Nov. 48. c. ult. Sich. tr. de jurej. n. 6. & 7. & in Rubr. h. t. n. 5. in C. W. s. ?? h. t. n. 7. Besold. d. l. thes. 17.* Prior tamen cum jure nostro magis fraternizare videtur. In quibus enim causis opus est probatione, in illis hoc juramentum omittendum non est *l. 1. C. h. t.* Ast in Crimin. opus est probat. & quidem luce meridianâ clarioribus *l. fin. C. de probat.* præsumtiones enim non sufficiunt ad condemnandum *l. 5. ff. de pæn. c. 14. extr. de præsumt.* (nisi in iis delictis, quæ per conjecturas & præsumtiones probari oportet per *l. 5. §. 6. ff. de re milit. c. 12. extr. d. t. Zang. de Tort. c. 1. n. 34. 35. &c.*) E. omitti non debet.

LXXXIII.

Excipiuntur tamen Causæ notoriæ; quod enim notorium probatione non indiget *arg. l. 137. §. 2. de V. O.* & in notoriis omnis calumniæ suspicio cessat, *Besold. d. l. th 18.* Item in causis, in quibus remanet sola juris quæstio, *Setf. l. 3. c. 4. n. 48.* Unde Q. Si Dd. Ll. allegarent, aut de juris materia disputat. instituerent, an de calumn. jurare debeant? Resp. Neg. Constat enim jura esse certa & finita, *l. 2. ff. de J. & fact. ignor. Umm. d. 12. n. 42. Wes. ar. de probat. n. 7. Diss. Sichard. Setf. Besold. th. 24.* Tandem Q. de matrimonial. rebus, an hæ excipiantur? *Br. tradit in l. 2. C. h. t. n. 14.* in illis olim juratum non fuisse, *Gail. 1. obs. 38. n. 4.* Secus de jure Pontific. *c. 1. h. t. in 6. Beust. ad l. 3. pr. ff. de jurejur.* Hodiè verò in Electoris Saxon. & aliis benè constitutis Consistoriis ita observant Adsessores, ut juram. hoc non exigant, sed hujus loco promissionem tantum à litigantibus de veritate dicenda exposcant (nisi aliud causæ magnitudo requirat) an Eides Stadt/ cum gravi comminatione, si aliter compertum fuerit negotium se habere, quam ab ipsis narratum sit, quod vel carcere, vel aliâ arbitraria pœnâ sine ullâ mitigatione puniri debeant, *Beust. de sponsal. c. 25. Setf. l. 3. c. 4. n. 13.*

LXXXIV.

Forma. Sequitur nunc ordine FORMA, quæ consistit in iis, ut præstetur IDONEO MODO, JUSTO TEMPORE & LEGITIMO LOCO. MODUS sive FORMULA habetur in *Ordin. Camer. t. 65.* quo brevitatis studio me jam remitto: *Vid. præterea Umm. disp. 12. th. 11. n. 49. Schneidw. d. l. n. 8. Hunn. ad Tr. d. disp. thes. Termin. in Process. c. 225.* ubi etiam requisita hujus juramenti recensentur, quæ Nobiliss. Vult. non solùm versic. inclusit, *Lib. 2. Jurispr. Rom. c. 31. n. 39.* sed & alii sic ediderunt:

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur,
& si quæratur, verum non inficietur,
nil promittatur, nec falsa probatio detur,
ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

TEMPUS quod concernit, sciendum est, hoc juramentum statim

tum in litis exordio præstandum esse, *l. 2. §. fin. C. h. t.* aut quando lis contestata est, *c. pen. extr. eod. in 6. l. 24. princ. C. de Judic. Ordin. Cameral. P. 3. t. 13. §.* Desgleichen sol ꝛc. *Gail. 1. obs. 74. n. 12.* Intra illud temporis spacium, quod Judex determinavit *d. l. 2. §. 5. C. d. t.* nunquam verò ante litis contestationem juratur *d. l. 2. pr. & §. ult. Nov. 49. c. 3. Besold. d. l. th. 28.* quamvis hoc non sit de substantiâ ordinis Judiciarii *Schneidwin. d. l. n. 9.* Jure verò Saxonico requiritur, ut jurare jussus necessum habeat curare, quò Actor ad juramenti calumniæ præstationem citetur in illâ ipsâ citatione, quam intra octiduum impetrare solet, *Ordin. Process. Judic. T. 18. §.* Nach dem auch/ꝛc. Hoc autem juramentum post conclusionem causæ ad partis instantiam exigi non potest, nisi hoc judex ex officio exegerit, *Gail. 1. obs. 84. n. 6.* quamvis pars reluctetur, & ita practicatum fuisse tradit, *H. Hartm. 1. obs. 3. t. 14.*

LXXXV.

De Loco nunc aliquid venit dicendum: Regulariter autem in Judicio ad acta jejuno stomacho illud præstandum *c. 16. c. 22. q. 5. auth. principal. l. 2. §. fin autem. C. h. t.* eoque in loco, in quo de controversiâ contentio est *d. l. 2. princ. Nov. 124 c. 1.* vel si in consistorio lis moveatur, tunc in sacri illius senatus præsentiâ hoc juramentum præstandum *d. auth. §. 1. C. h. t.* & Adversarius debet præsens esse, vel ejus procurator *d. auth. l. 2. §. 1. 2. 3. C. h. t.* Absentibus autem Judex certum temporis spacium constituere potest, secundum locorum intervallum, intra quod commodè ad judicium venire possunt, *Setf. l. 3. c. 7 n. 7.* quandoque verò contumaciter emanet, absente ipso hoc juramentum præstatur *d. auth. §. 4. C. h. t. & d. l. 2. §. fin autem.* nisi sit talis persona, quæ Judicii limina intrare cogi non potest: Tunc enim Judex ad eam jurandi causâ, domum mittere solet Commissarios, coram quibus jurat: E. gr. ut si quis lecto affixus propter morbum venire non possit, *arg. l. 15. h. t. c. 8. extr. de testibus. Umm. disp. 12. th. 11. n. 49.* vel si sit persona in eximiâ dignitate constituta, tunc enim non tenetur id facere in judicii loco, sed satis est, ut ab ipsis in ædibus propriis, parte

adversâ præsente, vel, ejus loco, Procuratore præstetur *d. l. 2. §. sin autem C. h. t. l. 15. ff. de Jurejur. ubi Accurs.* & hoc etiam in Camerâ receptum est, *Jacob Schult. in addit. ad Matth. Coler. decis. 115. P. 1. n. 27.* Quæ autem sint egregiæ personæ, Judicis arbitrio & prudentiæ committendum esse putamus: Jure verò Saxonico hoc non observatur, uti supra audivimus *thes. 74.* Hoc tamen juramentum in Judicio, ubi Audientia partibus concedi solet, in der Audienß-Stuben/ non verò publicitùs præstare coguntur, *Ord. Jud. El. Sax. tit. 19. in fin.* Idem obtinet in mulieribus honestis, ut matronis &c. *l. 2. §. 1. C. h. t. Nov. 124. c. 1. ubi & Cujac. Coler. decis. 115. Br. in l. ad personas n. 3. ff. de Jurejur.* Not. tamen *Obrecht. c. 10. n. 23.* quòd mulieres per Procuratores vel Curatores suos Judiciarios, quos ad litem constitutos habent, durch ihre kriegische Vormündere / in judicio plerumque juramentum hoc præstare soleant. Quid verò dicendum de Senibus: An & hi excipiuntur, ut non præstent in Judicio? Affirm. *Accurs. ad l. ad personas super verb. egregias ff. de jurejur. Wes. tr. t. ff. de testibus & alii.* Semper enim in civitate Romanâ Senectus venerabilis fuit, *Cic. in Caton. Major.* & idem iisdem honor tributus, qui Magistratui, *l. 5. ff. de jure immunitat.* Item quia privilegium hoc datur valetudinariis, Senectus autem per se morbus sit *l. 3. C. qui testam. fac. poss.* Hodiè verò nostris moribus id non indistinctè procedit, nisi forsan lecto ob morbum affixi, vel in aliquâ dignitate constituti essent, *Berlich. decis. 116. Beust. ad d. l. 15. ff. de jurejur. n. 12. cum aliis.*

LXXXVI.

Finis. Finis hujus juramenti, quod publicâ utilitate censetur introductum *l. 2. §. 4. C. h. t.* est, ut sacramenti timore contentiosorum hominum, in devium rixarum præcipitium, & irremeabilem litium labyrinthum nos facilè deducentium, securitas, & contentiosa instantia retundatur, *pr. & §. 1. Inst. de pœn. temerè litigant. l. 1. pr. l. 2. §. pen. C. h. t. Gail. l. 1. de P. P. c. 5. n. 3 Schneidw. d. l. n. 10.* & ut uno verbo dicam, quò calumniosæ lites omittantur, *Nov. 46. c. 3.*

LXXXVII.

EFFECTUS in genere est, ut cesset postea calumniæ suspicio, *Effectus.* *Menoch. l. præsumt. 85 n. ult.* adeò, ut de juramenti præstiti veritate nũ disputare liceat, *Obrech. c. 12. n. 3* nisi expresse de calũniâ appareat contrarium, tunc licet super calumniâ quæstionem movere. *Marant. de juram. calumn. n. 12. Umm. disp. 12. th. fin. n. 52.* Et perjurus competentibus pœnis subjugandus est, fustigatione sc. *l. 13. §. fin. de jurejur. l. 16. C. ex quibus caus. infam.* quæ LL. propriè de calumniatoribus agunt *Schneidwin. d. l. n. 11. &c.* Item effectus est, ut si Actor præstare noluerit, causâ cadat, tanquam improbus litigator *l. 2. 6. C. h. t.* Reus verò tanquam confessus condemnationem sustineat. *Schneidw. d. l.* Q. autem hîc, an hoc juramentum victum ab onere expensarum liberet? Neg. *Besold. d. loc. thes. cum ibidem allegat. viris gravissimis,* & ita totum mundum tenere ait *Salicet. in l. 3. in fin. C. qui accus. non poss.* Econtra *Tiraquell. tr. de pœn. Caus. 51. n. 112 cum aliis multis allegat.* affirmat: Nos cum *Br. LL. Coriphæo*, solus scripta ut Sibyllæ folia æstimamus, concludimus: Ex actis potius colligendum esse, an aliquam litigandi causam vel Actor vel fugiens habuerit, & an hic vel ille in expensas condemnandus veniat. Si itaque ex actis apparuerit nullam litigantis intervenisse temeritatem, justè litigium suscepisse videtur. Aliàs si evidens probatur vel temeritas vel jurantis calumnia, tunc isto casu ejusmodi juramenti præstatio non relevat & excusat.

LXXXIIX.

AFFINITATEM autem cum hoc juramento habere videtur, PECUNIARIA OLIM USITATA & RECEPTA PŒNA, quando decima litis pars causâ cadenti, Actori vel Reo victo imponebatur, cujus fit mentio, *pr. & §. 1 Inst. de P. temerè litig.* quæ tamen jure Codicis abrogata *d. l. 2. §. pen. C. h. t. d. §. 1. Inst.* Jure verò Novell. iterum introducta *Nov. 112. c. 2. Schneidwin. d. l. n. 12.* quamvis hodiè id non observetur: In ejus enim locum, condemnationẽ in expensas & litis dãna successisse videmus; *Carpz. in Pr. forens. P. 1. Const. 31. decis. 20.* Item Affine est huic VERITATIS juramentum *c. 1. pr. & §. fin. c. 2. h. t. in 6.* *Affinia.*

Item.

Item illud, quod vulgò vocant juramentum DANDORUM & RESPONDENDORUM, sive JURAMENTUM POSITIONUM: quod stylo magis, quàm jure civili introductum est: utpote à veteribus formulis interrogationis multum differens, *Gilken. ad tit. C. h. t. n. 60.* Est autem juramentum dandorum, quo pars illa, quæ ad eliciendam adversarii confessionem, ut ab onere probandi relevetur, positiones edidit, confirmare cogitur veros esse, quos exhibet articulos, quoad proprium factum: Cæteros autem de facto alieno conceptos se veros & probabiles credere, *c. 2. extr. de testibus & attest. in 6. Form. hujus juram. vid. Ordin. Cameral. P. 1. t. 69. & Gail. 1. obs. 29. n. 10. & obs. 82. in princ.* Juramentum respondendorum dicitur, quo ponentis adversarius confirmat, se ad articulos exhibitos & quidem singulos, quatenus de jure responsales sunt, per verbum credo, vel non credo, veritatem fateri sine fraude velle, *d. c. 2. Gail. d. l. n. ult. Form. ejus habetur in Ord. Cam. P. 1. T. 71.* Not. autem (1) de hoc juramento: Quod, si ponens juramentum dandorum præstare recuset, neq; adversarius respondendorum juramentum subire cogatur, *arg. c. non licet de R. J. in 6. Bald. in c 3 ext. h. t. & ad l. 9. C. de Judic. Comm. ad tit. 69. P. 1 Ord. Cameral.* Utrinque enim est præstandum *Grave. lib. 1. conclus. 79. consider. 2. n. 1. 3. 5.* (2) Quod licet Dominus Vasallo non juret de fidelitate, ut supra audivimus, hoc tamen juramentum præstare teneatur. *Ruland. ad Process. Ferral. 2. c. 3. fol. 99.*

LXXXIX.

Contraria. CONTRARIA huic juramento sunt, remissio litigantium: Hinc Q. moveri solet, an hoc juramentum remitti possit: Disting. videtur esse inter jus civile, quo generale quidem nunquam remitti potest, *l. 2. §. 4. C. h. t. Gail. 1. obs. 111. n Schneidwin. d. l. n. 13. in fin. th. 70.* (licet speciale remitti possit, *auth. hoc sacram. C. h. t.*) & Canonicum, ubi licet expressè non possit fieri remissio, tacitè verò potest, *c. 1. §. 1. h. t. in 6. Schult. in Syn. Judic. thes. 43.* sive, non remitti, sed omitti potest, *Besold. d. loc. th. 25.* ad hoc enim ut præstetur, petitio partis adversæ necessaria est *arg. l. 5. §. 14. de nov. oper. nunciat. l. 34. §. 4. ff. de jurejur.* Itaque si remissum tacitè est, omissio hujus actum non an-

annullat *d. c. 1. §. 1. h. t. in 6.* Cum enim exactum, est de forma & substantia Judicii *Besold. d. loc. thes. 25.* In Camera autem & Dicasteriis aliis non hoc juramentum videtur exegisse, qui id non oretenus, sed tantùm in libello seu scripto petit: *Deput.* Abschied / *de anno* 600. §. Als auch unsere / &c. *Schwanmann. in Process. Cameral. lib. 1. c. 45. n. 21.* Item Q. porrò solet: Num statuto municipali vel consvetudine abrogari possit in totum? Si jus nostrum respicimus rectè negatur hoc cum Dd. *Besold. th. 27.* Verùm hodiernis moribus Practici prudentes hanc addunt limitationem, quod sc. ex circumstantiis rerum remitti & abrogari possit, si sc. homines proclives ad pejerandum *l. 8 ff. de condit. instit. Gail. 1. obs. 85. Bachov. dict. disp. th 3.* ne sacramento colorato perjurium committatur, *l. 2. C. de indict. viduit. tollend.* Insuper Principis rescripto hoc juramentum tolli posse, quia juris positivi, statuunt Dd. Comm. Cur E. non consvetudine, præsertim eâ, quæ hominum memoriam superat, & ita *Wittenb. olim pronunciatum fuisse ad Consultationem Senatus Rostochiens.* refert *Rauchbar. in q. Jur. Sax. & civil. P. 1. q 9. n. 6.* Et ita factum quoque esse *in Gallia, in Regno Neapolitano, & alibi in aliis locis*, refert *Camill. Borell. Summ. decis. t. 51. n. 46.* Tantùm de hac.

XC.

Subjungimus nunc JURAMENTUM TESTIS VEL TESTIMONII, Zeugen Eidt. Est autem JURAMENTUM TESTIMONII, QUOD à TESTIBUS, antequam testimonium dicunt, DE VERITATE DICENDA EXIGITUR, *l. 9. C. de testibus. c. testimonium extra eodem. Gail. 1. obs. 101. n. 2.* Diximus ante testimonium: Q. autem, quid obtineat, si testis prius deponat super articulos & posteà juret, num valeat depositio ista jurata? Negat hoc *Salicet. & Felin. in c. de testibus extr. h. t. l. 9. C. eodem.* Alii verò id rectiùs affirmant, si modò in continenti post dictum sequatur juramentum, *Ilmm. disp. 16. sub num. 60.* & hoc in Camerâ receptum esse statuit *Gail. 1. obs. 101. n. 9.* Hinc etiam Dd. loco cautelæ suggerunt, ut talis depositio validetur ex subsequenti juramento, quando sc. testis, vel iterum illud idem deponat, *Juramentum testimonii.*

I vel

vel breviter & specificè refe-at primum dictum: So er ihm seine vorige deposition wieder verzulesen begehret / vnd diese mit dem Eydt bekräfftiget. *Gail. d l. Mynsing. C.3 obs 80. princ. & 4. obs. 77. Sets. l.3. c.10. n.3. & aliy.*

XCI.

Defertur autem hoc juramentum omnibus, qui modo testimonium deponere autumant, adeò ut testes ad id præcisè compelli queant *l. 9. pr. C. de testib. c. 51. extr. eodem. Mascard. de probat. vol. 1. conclus 1369. Besold. tr. de Appellat. c. 12. n. 4.* aliàs contra non juratos testes rectè excipitur, iique, ut illegitimi, nihilque probantes rejiciuntur *d. l. 9. c. licet. extr. h. t. Gail. d. l. num. 1. Sets. d. l. c. 9. Farinac. q. 74. num. 1. de oppos. contra exam. testium.* nec numerus testium supplet hunc defectum, *Trentacinq. l. 2. resol. 5. n. 1.* (quanquam aliquam præsumtionem facere possit. *Farinac. d. l. n. 109*) Et hoc adeò verum, ut nec consvetudine remitti possit, *Farinac. d. l. n. 54. Sets. d. l. c. 9. n. 13.* neque statuto, *Trentacinq. d loc. n. 11* Imò nec Princeps hoc efficere possit, ut fides testibus adhibeatur sine juramento *Farinac. d. l. n. 59.* nec Papa dispensare queat, *Trentac. d. l. n. 9.* Est enim hoc juramentum solennitas testimonii substantialis, à naturæque proveniens jure, *arg. c. 2. extr. de sponsal. Panormit. ad c. 1. n. 4. extr. de jurejur. Menoch. arbitr. cas. 26. n. 3. Sets. d. l. n. 8. Farinac. d. l. n. 111.* Unde nec ab hoc juramento excipiuntur personæ illustres, injuratus enim testis in præjudicium alterius nil probat *l. 9. l. 18. C. h. t. c. quoties. c. 15. extr. eodem.* Hinc *Bodin. lib. 6. de R. P. c. ult. fol. (mihi) 1757.* refert, Galliæ Regem Henricum, in causa quadam gravissima privati modo, & quidem juratò coram judicibus, pro testimonio dixisse.

XCII.

Hoc tamen notandum, quod consensu partium remitti possit testibus, *c. 39. extr. in fin. h. t. Gail. d. loc. n. 2. Ordin. Cameral. P. 1. n. 77.* quod imprimis procedit in personis illustribus & dignitate constitutis, aliisque notæ probitatis, *d. c. 39. ubi elegans gloss.* Quo referri potest Xenocratis exemplum, cujus sanctitati & sinceritati tantum apud Athenienses tributum

rum fuit, ut cum aliquando teſtimonium dicere coactus ad aram jurandi causâ acceſſiſſet, conſurrexerint Judices Univerſi, proclamârintque, ne daret jusjurandum: Hinc & *Gail. lib. 1. obſ. 100. n. 22. & obſ. 101. n. 14.* ita in Regno Bohemiæ & in Archiducatu Auſtriæ, & plur. aliis locis ex ſingulari privilegio receptum eſſe, ut illuſtres perſonæ ſine corporali juramento per ſcripturam obſignatam deponant: Quando verò remittitur jusjurandum, & pars contenta voluntate jurantis, idem eſt ac ſi juraſſet, *arg. l. 6. ff. de jurejur.* Poteſt tamen Judex, hac partium remiſſione non obſtante, ſi ita ei videatur, & de præjudicio publico vel animarum, vel alia graviſſima cauſa agatur, teſtibus hoc juramentum deferre. *Gail. d. l. n. 5. Mynſing. 6. obſ. 32. n. 3. Farinac. d. l. n. 85. & 91. Trentacinq. d. l. n. 8. Scrſ. d. l. n. 38.* Ratio autem differ. cur ſtatuto vel conſvetud. remitti non poſſit, eſt: Quia non ita gravari ſtatuto debent, ut ſua ſibi negligentia vel arbitrio præjudicari ſubditi poſſint: *vid. Ever. à pact. ad L. n. 7.*

XCIII.

Hujus porrò juramenti FORMAM VIDERE licet in *Ordin. Cameral. P. 1. tit. 77.* Requiruntur autem ad minimum 2. teſtes, (uni enim non creditur *l. 9. §. 1. C. h. t.*) Hos præſtito juramento Judex paulisper ſecedere jubet, & quemlibet ſeorſim rurſus accerſit, eumque priùs de juramento præſtito & pœna perjurii diligenter præmonitum, cum ad quemlibet articulum, tum ad quodlibet interrogatorium ſigillatim abſentibus partibus, (quod potius de conſvetudine, quam jure ſcripto obtinet, *teſte Schult.*) ſumma cum diligentia interrogat & examinat: Quo facto ſilentium cuilibet ſub pœna juramenti à ſe præſtiti Judex imponere ſolet, ne ipſi atteſtationes ſuas ante publicationem patefaciant, & ſi teſtes prodiderint, competenti pœna à Judice plectantur *c. 3. §. qui falſ. c. 4. q. 3.* Ut autem teſtes jurent, conſenſus tàm producentis teſtes, quàm ejus, contra quem producuntur, adeſſe debet, *Farinac. d. l. n. 86. Trentacinq. d. l. n. 8.* & quidem expreſſus, non tacitus, *latè Farinac. d. l. n. 84. Mynſ. ad c. 39. n. 7. extr. de teſtibus.* *Forma.*

Testes autem juramentum solenne præstare debent, *Rutg. Rul. tr. de Commiss. P. 2. l. 2. c. 11.* Unde dici solet, ut examen validum sit, debere evidenter apparere, testes tactis scripturis, seu more nostrate, masculos digitis elevatis, mulieres manu dextra, mammillis sinistrâ appositâ, juràsse *Farinac. d. l. n. 20.* & ideò non sufficit, licet Notarius scripserit in actis, testem juràsse, nisi etiam dicatur corporaliter & debitâ solennitate *Trentacinq. d. l. n. 4. & seq.* Hinc pariter testes non audiendi, si petunt bey ihren ämptlichen Pflichten vnd Eyden gelassen zu werden / *Ruland. P. 2. l. 2. c. 11. n. 15.* neque sufficit, handgegebene Trew an Eydes Stadt / *Rul. d. l. n. 26. Sets l. 3. c. 9 n. 28.* etiam in Illustribus personis, si depon. bey Fürstlichen / Gräflichen / Adelichen Ehren / *Rul. d. l n. 41. usq; ad finem capit:* Unde & Imperat. vel Papæ assertioni tum demum creditur, si tertii præjudicium haud inde metuatur *clem. 1. de probat. Mascard Volum. 1. conclus. 139. 141. & 1234. Gravett. de antiquit. tempor. P. 1. n. 16.* Insuper observandum, quod die feriatâ præstandum non sit, (nisi summâ & extremâ necessitate urgente) ac si fiat, examen reddatur nullum, quamvis testes examinari possint feriis non obstantibus, si antea juràrint, *Rulan. d. P. 1. l. 5. c. 5. & P. 2. l. 2. c. 12. n. 1.*

XCV.

Notandum verò, quod hoc juramentum testimonii extendatur etiam ad ARTIFICES, CHIRURGOS, AGRIMENSORES, OBSTETRICES, qui jurant, se legale testimonium dicturos secundum peritiam artis, vel se veritatem pro eorum judicio dicturos *Rul. P. 1. l. 4. c. 10. n. 15. Farinac. d. l. n. 99. Trentacinq. d. l. n. 15.* Et hoc juramentum partium quoque indulgentiâ omitti potest; Quo tamen casu eorundem testimonium æquè probat, ac si juràssent *arg. l. 5. §. 4. ff. de jurejur. Gail. 1. obs. 101. n. 2. & 3. Rul. c. 10. n. 8. & lib. 6. c. 10. n. 3. Farinac. d. l. num. 83 Sets. l. 3. c. 9. n. 38.* Aliàs iis non juratis non creditur, quamvis consensu partium electi sint *Rul. d. l. c. 10. n. 3. Sets. d. l. c. 3. n. 13. Farinac. n. 95. & seqq. Diss. alii ut Rudol. Volem. Hess. conclu-*

clusionum de testibus Cent. 3. thes. 23. & 38. Quando verò Judex tantùm pro sui informatione quid fieri mandat, tunc non jurant, *Ruland. d. l. n. 10. Mynsing. Cent. 6. obs. 34. n. 14.* Hoc tandem etiam observandum, quod si Artifex testari velit sub juramento, quod, cum in collegium artificum reciperetur, publica præstitit autoritate, non audiatur, *Ruland. d. n. 5. Mascard. d. l. conclus. 1130. n. 7.* Et, quod jurent non in relatione, sed in principio, ut & cæteri testes, *Rul. d. n. 14.*

XCVI.

Potest etiam huc referri sub juram. necess. juramentum tutoris, ideò tutelam, recusantis, quod sit debitor pupilli. Et tantùm de speciebus..

XCVII.

Sequuntur jam AFFINIA: Affinia autem sunt, PROMISSIO FIDEI, aut FIDES LOCO JURAMENTI DATA, de quibus supra diximus, quod vim juramenti habeant: Item inter affinia referri potest, VOTUM, QUOD EST POLLICITATIO EXTERNARUM QUARUNDAM & CORPORAL. RERUM NOSTRA SPONTE SUSCEPTA. Apud Ethnicos habebat votum jurisjurandi religionem adjunctam, uti refert *Alex. ab Alexand. lib. 3. c. 22.* ac etiamnum hodiè ei inesse putamus, quia fit DEO. Dividunt porrò Dd. votum, in EXPRESSUM & TACITUM: Illud in politicam nonnunquam transit obligationem & condictionem ex lege parit, si apud Episcopum insinuetur, *l. 15. C. de S.S. Eccles.* Taciti verò voti exemplum habemus *in lib. Judic. c. 11. v. 30.* Et ad hoc refertur Juramentum, quo aliquis apud seipsum se constrinxit, Wann einer bey ihm selbsten was verschweret: Qualis simplex jurata promissio in voto tamen ab eo differt, quod de re politica interponatur, nec DEO aliquid juretur *Cujac. in tit. ff. de pollicitat.* quam juratam promissionem apud seipsum in foro contentioso nullam parere obligationem tradunt, *arg. l. 2. princ. C. de R. C. l. 18. ff. de pœnis, Joh. Fab. ad §. item si quis, n. 5. Jas. eod. n. 63. & Zas. n. 19. Inst. de action.* licet id velint canonica infamia infamare *gloss. ad c. qui cum c. 6. q. 1. Br.*

Affinia.

in l. Lucius ff. de infam. prout etiam in foro animæ conſcientiam ligat, indeque eſt ſervandum, modo nullus appareat defectus vel promittentis *Num. 30. v. 4. & ſeqq.* vel promiſſi ratione *c. ſicut 13. extr. h t.* Promiſſio enim peccati non ligat, peccata enim peccatis cumularentur; Aut ſuperveniens probabilis cauſa circumſtantias mutet: Ut ſi quis apud ſe juraverit ſe impoſterum non fidejuſſurum, eveniat autem ut proximus ſit in magno periculo conſtitutus, ſalvâ nihilominus conſcientiâ eum liberare poteſt, imò debet: Semper enim conditiones nonnullæ, ſeu tacitæ clauſulæ ſubintelliguntur in juramento, *Bl. in l. fin. C. de non numerat. pecun. c. 1. in fin. h. t.* Et hoc de voto dixiſſe nobis ſufficiat.

XCIIX.

Contraria Vidimus hactens JURAMENTI CONSTITUTIONEM, nunc ob præſcriptum ordinem dicendum aliquid erit de Ejus DESTRUCTIONE, quam conſiſtere diximus in CONTRARIORUM EXPOSITIONE: Contrariatur autem juramento, PERJURIUM; Quod ſi latè ſumatur, comprehendit omnem contemtum DEI & blaſphemiam contra DEUM, de qua hic nos non agere cupimus, de ejus tamen pœnâ videri poterit *Schneidwin. Inſt. de action. §. 11. n. 117.* Propriè verò & ſtrictè ſumtum, perjurium fit, quando vel mendacium juramento confirmatur, cum nimirum ſcit vel credit eſſe falſum, & tamen verum eſſe jurat, *c. homines c. 22. q. 2.* Non verò, cum quid aſſeverat, quod credit, ſe ita revera habere *c. 1. de ſecret. in ordin. faciend.* niſi ex craſſa & ſupina fiat quadam ignorantia, quæ non excuſat *l. 6. l. 9. §. 2. ff de J. & facti ignor.* vel perjurium committitur, cum jurata fides frangitur, *c. 1. & 2. c. 22. q. 1.*

XCIX.

Tales autem pejerantes vel fidem frangentes immunes à pœnis non ſunt: ſed graviſſimè puniuntur: Pœnæ autem ſunt vel ex JURE DIVINO, *vid. c. 5. Zach. v. 4.* vel POSITIVO, eoque vel CANONICO, *& vid. c. infam. 17. c. 6. q. 1. c. quicunque ead.* vel CIVILI, & quamvis contemta jurisjurandi religio ſatis

tis Deum ultorem habeat *l. 2. C. h. t.* sc. quoad conscientiam & animam, *Wes. ur. h. t n. 13.* attamen etiam de jure civili pœnæ certæ constitutæ fuêre, videatur *l 41. C. de transact. l. 13. §. fin. ff. h. t l. 22. de dol. l ult. ff. stellion. l. 17. C. de dignitat. & alibi Wes. dict. loc. Schneidwin. d loc.* VEL JURE NOVO & HODIERNO, *Constit. Criminal Carol. V. artic. 107. §. 8. ibi :* Daß man den Mündigen die fördern Glied an zweyen Fingern / damit sie den falschen Eyd geschworen/abhawen möge. VEL JURE CONSVETUDINARIO, & hic cujuscunque loci statuta observanda sunt.

C.

In Gentilitate autem quomodo olim punita fuerint perjuria, videndi sunt Historici. *Alex. ab Alexand. l. 5. gen. dier. c. 10. Diodor. Sicul. 11. Macrob. lib. 5. Sat. c. 19. Arist. in lib. de mirab. in sculp. Solin. lib. 10. Philostrat. in vit. Apoll. lib. 1. c. 4. Herod. lib. 6. Plin. l. 2. c. 103. Gaudent. Merul. lib. 3. memorab. c. 3* ubi refert, si perjuri Olocha, Bethyniæ fluvio bibissent, flammam accendi in pectore. Et certè hæc est flamma illa, quæ conscientiæ tales maculas inurit, quæ in omni vita non eruet.

CI.

Non inconcinnè autem hîc duæ veniunt decidendæ quæstiones utilissimæ, quarum 1. est, An, si cautio jurata data de non ulciscendo, adimatur vindicta publica & juridica, adeò ut si posteà juridicè quis ulciscatur, perjurium committat? Et Resp. etiam non obstante juramento nihilominus iniquitatem incarcerationis vindicari posse, *Seiler. in Select. Cameral. sent de Anno Christi 1561. Octob. 10. Schurff. consil. 87. Cent. 3.* idque tàm contra Judices, quàm delatores, *Ludov. Rom. consil. 183.* nec valet juramentum, si quis eò adigatur, ut etiam renunciet vindictæ Juridicæ, *Sichard. consil. Criminal. 9.*

CII.

Altera est, an pœna perjurii *in l. 41. C. de transact.* etiam locum habeat in illa assertione, quæ fit loco juramenti, an Eydes Stadt. Digna sanè quæstio, ut latius explicetur? Pro parte autem affirmativa stat, *dict. l. 41.* ubi requiritur, ut transactio facta sit, invocato Dei omnipotentis nomine, vel per salutem Principis. Jam verò constat, quod an Eydes Stadt promittere, idem sit ac firmare, id est, testari, velle quem non solùm solennia juramenti corporaliter præstare, quandocunque id requisiverit, vel superior vel altera pars transigentium, vel etiam aliàs opus fuerit: verùm etiam intereà efficaciter, ac si reverà jurâsset, obligatum esse: Quæ promissio, id est, testatio in effectu nihil aliud est, quàm invocatio Numinis, *Besold. in thes. practic.* in voce Eyd / Eeydes Stadt *lit. a. num. 21. vers. sic certè &c.* Præsertim, quod in promissionibus publicis, aut sacris, magis attendatur sensus, quam ipsa verba, *arg. c. beatus, 5. c. 22. q. 2. &c. Antecessor 104. c. 11. q. 3. Webner. in observ. practic. lit. b. voc.* bey Glauben und Trewen / *p 56. Speidel. in Notab. dict. voc.* Eydes Stadt / *lit. a. num. 11. Gail. 2. obs. 59. num. 3. & 4. cum ibid. cit. Camill. Borell. Tom. 1. decis. summ. tit. 60. num. 29. cum 5. seqq.* Hocque elegantissimo quodam præjudicio, lato in celeberrimo *Dicaster. Jenens. M Novemb. Anno 1621. ad quæstion. Johann. & Theodoric. Völlers*, confirmatum fuit. Econtra movent in contrar. relata *à Speidel. præcit loco. post Dd. ibid. alleg.* scil. (1) quod interpositio fidei pro vero juramento haberi non possit, *junct. Gail. d. l. num. 5. cum seq.* (2) quia in *d. l. 41.* expressè requiritur, ut promissio facta sit invocato Dei omnipotentis nomine, E. ut pœnæ duræ *d. l. 41.* locum habeant, juramento opus erit formaliter tali, maximè cum formale per æquipollens adimpleri nequeat *arg. l. 33. h. t.* Respondet *Speidel cit. loc.* Affirmantium sententiam intelligi posse, quoad fidem contractus & firmitatem obligationis: Neg. verò quoad pœnas perjurii, quales aliquot gravissimas *in d.*

l.

l. 41. reperire licet: addatur *Gail. dict. loc. Mynsing. 1. obs. 17. n. fin.* Tentandum videtur, utique ibi veram dari invocationem Numinis, quoad materiam & ipsam formam internam, licet solennia sive forma externa non fuerit adhibita, *arg. can. quocunq. 9. c. 22. q. 5.* Quo modo procul dubio nemo excusabitur coram Deo, qui ita fidem loco juramenti dederit, cùm hoc ipso, uti superiùs dictum, quis promittat, se præstiturum velle corporale juramentum, hoc est, ipsa ejus solennia præstare, quandocunque id fuerit requisitum: Interim verò (uti hic) intuitu juramenti transactionem servaturum: Ac proinde licet intereà solennitates juramenti (veluti adiaphora) salvâ juramenti substantiâ abesse possint, *Carpz. P. 2. Jurispr. Rom. Sax. Const. 16. def. 6. num. 3. cum seqq.* ipsi remittantur, fidem habendo eidem, utpote fortean personæ conjunctæ vel bonæ famæ &c. re tamen ipsâ taliter promittens, Deum testatur, ejusque nomen saltem in effectu invocat, maximè, si etiam (uti semper ferè à Commissariis fit) solenniter de perjurio prius fuerit admonitus Cùm aliàs fidei promissio simplex, & ea, quæ fit interim loco juramenti, nihil differrent. Facit, quod juramentum per Deum sit revera & formaliter juramentum, nec alia, nisi ad expressionem mentis, desideret solennia, *Besold. dict. loc. in thes. practic. vers. & ut alias:* Item quod Juramentum solo etiam verbo fieri possit. *Camill. Borell. decis. 60. num. 24. Alciat. ad d. l. 41. num. 49. cum seqq.* ubi distingvit inter promissionem per fidem Christi & religionem & fidei; Et inter promissionem simplicem, quâ quis promittit sub fide suâ: ut ibi juràsse censeatur, *arg. c. provenit 2. in fin. extr. de fidejuss.* Hic quoad pœnas non item: Cum hîc ambiguus sermo, utrum de fide Christi an verò de suæ promissionis constantia intelligi debeat, *Conf. Carpzov. dict. loc. const. 16. def. 6. à num. 9. usq. ad fin.* ubi distingv. Utrum juramentum sit pro forma actus, an minùs, ut ibi solenne requiratur: Hic verò promissio sufficiat substantiâ, id est,

Wort der ewigen oder göttlichen Warheit) cum ejusmodi formula an Eydes Stadt Deus implicitè invocetur: Unde ex *dict. l. 41.* ita licet colligere: Ubi in transactione invocatur nomen Dei, (sive implicitè, sive explicitè, cùm idipsum ibi non addatur) ibi pœnæ ejusdem L. locum habent, at per promissionem an Eydes Stadt / Deus invocatur, Ergo! Dicis? pœnalia, i. e. odiosa non esse extendenda per *c. odia de R. J. in 6.* Resp. Hic non fieri interpretationem extensivam, sed explicativam, qua mentem LL. saltem explicamus. Instas? *ex d. l. 33. ff. h. t.* non sufficere jurare per salutem suam. Respond. ex dict. id propterea fieri, quod prædicta verba sint ambigua: facit, quod citatus textus sit Ulpiani, qui fuit Ethnicus, uti apparet *ex l. 3. §. 3. ff. de Decurion.* Addo, quicquid horum sit, diligenter tamen inspiciendum animum (verbi gratia) contrahentium, cum juramentum, (vel quod ejus loco est) ita Deus accipiat, sicut iste, cui juratur, intelligit *d. c. quocunq. 9. c. 22. q. 5.*

CIII.

Porrò contrariatur, VIS, *c. 8. 15. 28. extr. h. t.* DOLUS, *auth. sacram. pub. C. si adversus vendit.* ABSOLUTIO, *Mynsing. Cent. 2. obs. 57.* per quam juramentum relaxatur. Pertinebat autem jus absolvendi, einem seine gegebene Urphet gegen dem / so ihm also verurphetet hat / zu relaxiren / ad solum Imperatorem *l. ult. in princ. ad municipal. l. 9. §. ult. de jure patron. Obrecht. in disp. Feud. disp. thes. 142 Vultej. l. 1. F. c. 5. n. 7. & alii. Wes. ur. ht.* hodiè etiam Judicio Cameræ Imper. competit, *Ordin. Cameral. Imp. P. 2. Tit. 24.* licet Canonistæ illam simpliciter ad forum Ecclesiasticum referant, *refer. Reinking. de R. E. & S. L. 3. class. 1. c. 10. n. 54.* Veriùs tamen est ad Jurisdictionem secularem absolutionem pertinere, quoties ad EFFECTUM AGENDI & SIMILES CAUSAS QUIS AGERE VULT, Reichs Abschied *de anno 1555.* §. Und sollen ꝛc. Si verò ABSOLUTIONEM A PECCATO, SEU REMISSIONEM SPIRITUALEM CONCERNIMUS quæ

quæ ad ministerium Ecclesiasticum spectat, RECTÈ ILLA SOLI FORO ECCLESIASTICO RESERVATUR, vel UBI AGITUR DE SUBSTANTIA JURAMENTI, *Reinking. d. loc. num. 60.* Concludimus igitur absolutionem à juramento neque esse REM PURÈ SECULAREM, neque SIMPLICITER ECCLESIASTICAM, sed MIXTAM, ut res matrimonialis, ita, ut hæc, & seculares requirit Judices & Ecclesiasticos, & eatenus admittenda, quatenus jurament. illicita, improba & voluntati divinæ contraria sunt, *Wes. ꝑ. h. t. in fin.*

CIV.

Colophonis loco, Q. illam, an juramentum vi, metuve extortum servandum sit latroni, an verò pars læsa absolvi debeat, subnectimus? Quæstio sanè calamitosissimo huic belli tempori conveniens. Distingvimus autem inter Jus CIVILE, sive quod hîc ad scopum idem est, Jus FORI, & inter Jus CANONICUM, sive Jus POLI, *vid. c. fin. c. 17. q. 4.* ut ibi non valeat: Hic verò distinv. iterum an factum sit SUPER RE LICITA & POSSIBILI, an verò ILLICITA & IMPOSSIBILI, ut ibi tutius sit servare juramentum, *c. 28 extr. h. t. & c. 8. eodem*, ut si sit de re pecuniaria, & hæc est Comm. Canon. & Theolog. opinio, teste *Rever. Balduin. in cas. consc. cas. 11. & 14. Golielm. Ames. de conscient. & ejus jure L. 4. c. 22. q. 9.* Major enim ratio animæ, quam fortunarum habenda est, cum ipsa anima, omnibus rebus præferatur *l. 21. in fin. C. de S. S. Eccles. c. 13. de pœnit. & remiss.* Hîc verò juramentum est ipso jure nullum, *auth. sacram. puberum, C. si advers. vendit.* quamvis tutius sit, ut absolvantur tales *arg. c. 2. c. 12. extr. h. t. vid. Gail. 2. obs. 42. Donell. 21. comm. de jur. civil. c. 1. Azor. moral. instit. P. 2. l. 11. c. 11. p. 932.* ne scrupulus in conscientiâ maneat, aut videantur perjurâsse.

CV.

Portum nunc & littus occupamus, quare hujus navigiolis

nostræ summo, ex imo cordis penetrali, grata laudis præconia decantamus, rogantes insuper fidelissimum nostrum Nauclerum, ut & imposterum ita vehat & regat vitæ nostræ navigiolum, ut & studiorum & omnium propositorum, ut illa sint instrumenta pro vehendæ gloriæ ipsius, utilia proximo & animæ maximè salutaria, & tandem ex procelloso hujus Mundi Oceano ad portum æternæ felicitatis & felicissimæ quietis deducat; Atque hæc pro tempore & ætate

Quæ potui feci, sed si quis plura requirat,
Consulat ingenio, qui meliore valent:

Bellaria apponere attica, seu condire scire non cuilibet datum: Adhuc autem multum restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adjiciendi, *Senec. 8. Epist. ad Lucil.*

COROLLARIA.

1.

Princeps nullis LL. est solutus.

2.

In Imperatricem non committitur crimen læsæ Majestatis.

3.

Minores delinquentes etiam pœnâ ordinariâ afficiendi.

4.

4.

Etiam in pœnalibus ſub ſexu maſculino fœmininus continetur.

5.

Emptione perfectâ periculum ſpectat ad Emptorem.

6.

Venditor non tenetur reſtituere expenſas, ſi res non fuerit evicta.

7.

Jus venandi etiam pertinet ad Regalia.

8.

Pœna capitalis conſtitui poteſt in venantes invito Principe.

FINIS ET GLORIA JOVÆ!

Eximio atq; eruditissimè docto,

DN. JACOBO Schrötern/
maximi Parentis æmulo filio, Matrueli
ac Compransori suo svavissimo,

S. P.

NOn Patrum ceræ, veterum vel quicquid avorum
vultus, queis rident atria plena TIBI:
Sola sed exardens TE gloria Dulcis Honesti
ducit ad optatum, dulcis amice! scopum.
JURO TIBI, æternæ, volitabis, frondis honore
jure coronatus, docta per ora Virûm.


Johan-Tobias Major.

DAzwar/ hochwerther Herr/ die Schuldigkeit ich kenne/
Mit der ich Euch verpflicht/ vmb/ daß Euch Freund ich nenne/
Daß ich die tieffe Kunst durch Binde-Wörter zier
Bekrönen wolte: doch/ so wehret dieses mir/
Mir wehret dis die Zeit/ die Zeit/ so alles wehret
Dem/ der nicht Meister ist. Ihr/ welcher itzo lehret/
Wie man recht schweren sol/ besteht auff ewren Eyd/
Den ihr geschworen habt der/ die in Ewigkeit

Bestehn vnd bleiben wird/ die Tugend wil ich nennen
Mit der Geschicklikeit/ nach denen ihr thut rennen.
Nun rennet eiffrig fort/ Ihr seyd schon einverleibt
Der langen Ewigkeit/dort/wo die Tugend bleibt.

Seinem hochwerthen Freunde vnd Herrn Tischburschen vbersendet dieses auff Begehren/ zu Bezeigung seiner Schuldigkeit/ in eilfertiger Eile

David Lipach.



FINIS.